

**Ioannes Chrysostomus Loots**  
**‘Pompeius Magnus’**

Tragicomoedia  
(1635)



Jan-Wilhelm Beck  
Institut für Klassische Philologie  
Lehrstuhl Lateinische Philologie  
Universität Regensburg  
Universitätsstraße 31  
93040 Regensburg  
Februar 2007

## Personae

Pompeius  
Sybilla veridica  
Flora  
Nobiles VI  
Histrio  
Geminus  
Fames  
Morbus  
Impietas  
Pietas patriae  
Spes  
Victoria  
Terentius  
Perfidia  
Cynna  
Antistius  
Antistia Puella  
Senatores V, Senatus  
Constantia  
Fama  
Famulus  
Carinna  
Milites  
Scipio  
Nuntius  
Duces Scipionis  
Milites Scipionis  
Armiger  
Sylla  
Aemilianae Puellae III  
Antistianae Puellae III  
Antistiae Mater  
Mors  
Legatus  
Mythridates  
Milites  
Armiger  
Roma  
Populus

## Actus primus Scena prima

<Pompeius, Sybilla, Flora, Nobiles VI, Histrio>

*Pompeius adhuc iuuenis exardet impudico amore Florae nobilis et famosae pellicis.*

- Pomp. Heu, quam severas ingerit cordi faces  
Cytheraea! quantis aestuat pectus rogis!  
Intus calores sentio, Aethnaeos focos  
Stygiasque flammam; raptor in foedum scelus  
Stimulante Venere. vach, pudet tantum nefas! 5  
Ast hunc pudorem vincit impatiens amor,  
Et caecus altam deiicit mentem furor.  
An aestuosum cordis hoc patiar fretum?  
Animi procellas? Flora! delictum mei  
Et vita cordis!
- Syb. potius exitium tui 10  
Luesque cordis!
- Pomp. raptor in sinum tuum  
Simulque flammam. Magnus accenso flagrat  
Pompeius igne, spernere infandum scelus  
Amando didicit; parvus ut fiat, Venus  
Stimulando faciat.
- Syb. dulcis est stimulus amor, 15  
Atro veneno tinctus, ast pungit nimis  
Necemque certam causat.
- Pomp. o charum caput!  
Mi Flora!
- Flora mi Pompeie!
- Pomp. plura sed vetat  
Amoris ardor.
- Syb. plura non vetat Stygis  
Ardens caminus.
- Pomp. subdis Aethnaeos focos 20  
Animo flagranti, frigidum cordi metum  
Calidamque pugnam: certat et amor et timor.  
Pompeie! quid ages? vince vel blando iugo  
Succumbe victus. immori dulci malo  
Si lubeat, istud corpus in bustum para 25  
Foedosque cineres, invidos lucis tuae  
Amplaeque laudis. turpe vel renuas iugum  
Magnae superstes gloriae, ut novis genus

- Semper triumphis crescat et animus simul  
 Auctus trophaeis: Fama te Magnum canat. 30  
 Servire amori turpiter iam te decet  
 Aut imperare. crescit impietas magis,  
 Sumitque robur pectoris furor mei.  
 Dum fugio venerem, sequitur a tergo Venus,  
 Plus blandiendo quam recusando potens. 35  
 Haec impotentem reddit et tradit suis  
 Taedis cremandum. pellitur animo pudor,  
 Sceleris nefandi domitor; impudens sibi  
 Imperia Cypris vendicat. blandum est malum  
 Puella, magnis semper infestum viris. 40
- Syb. Fatalis haec est pectoris lues tui,  
 Lernaea pestis, toxicum secum ferens  
 Lethale fibris.
- Pomp. vincor impatiens morae.  
 Est Flora cordi flosculus gratus meo.
- Syb. Est Flora cordis blanda perniciēs tui. 45
- Pomp. Haec plus falerno floridum pectus facit.
- Syb. Haec plus Averno torridum pectus facit.
- Pomp. Heu, quam severo spiculo mentem feris  
 Animosque pronos crimen in foedum trahis!  
 Quin punicantes avidus in genas volo? 50  
 Amoris ardor imperat, Venus iubet:  
 Niveum lacertis candidis collum premam.
- Flora Collum genasque praebeo et, si quid potest  
 Devota Flora.
- Pomp. lancinas nimium gravi  
 Animum sagitta.
- Flora dulcis est Veneris dolor 55  
 Et dulce telum. melle nectareo lita  
 Sunt tela Veneris.
- Syb. felle lethali lita  
 Sunt tela Veneris. iura genialis tori  
 Infame scortum violat, et sibi et suis  
 Nocere solitum.
- Flora saucias pectus meum, 60  
 Pompeie. saevas stimulat in flammās amor.  
 Haeres medullis semper infixus meis.
- Pomp. Exhauriamus spumeos scyphos mero,  
 Lascivientis veneris antecenia.
- Syb. Luxuria luxum sequitur, in foedas merum 65  
 Spumat libidines.
- Pomp. metallo iam graves  
 Multo crateres, regiae simul dapes

(Actus I)	Ioannes Chrysostomus Loots, 'Pompeius Magnus'	5
	Mensas onustent; fulcra sub gravi gemant Depressa mole.	
Nob. I.	tristis ex epulis dolor Luctusque fugiant.	
Nob. II.	exulent pavidi metus Moestaeque curae.	70
Nob. III.	pampinis thyrsus gerat Vinctum Lyaeus, armiger Veneris sacrae; Epulisque molles misceat semper iocos.	
Nob. IV.	Laetum coruscans Bosphorus vehat diem Puroque radiet lucidum coelo iubar.	75
Nob. V.	Pulsis tenebris spargat auratas comas Hilarique vultu spatia decurrat poli.	
Nob. VI.	Pinum iugalem laetus Hymenaeus ferat, Lucina faveat partui praeses sacro; Et nuptiale concinant thalassium Pueri iocantes, scommata et festos iocos.	80
His.	Pompeie, Floram flosculum gratum cape, Quae superat altos flore conspersos toros.	
Pomp.	Laeti morantem fregimus mero diem, Solitaque Phoebus spatia dimensus poli Incumbit undis. domitor est luxus sopor Oculosque vincit, regios suadens toros.	85

## Scena secunda

<Geminus, Sybilla, Pompeius>

*Geminus conatur incendium istud amoris in Pompeio suo extinguere et ad Martis studia inflammare.*

Gem.	O nimium felix, quem non nodosa coarctant Vincula coniugii, et generosa mente procaces Blanditias ridetque nigro lita verba veneno Lascivae veneris, risusque iocosque protervos, Queis parit exitium miseris, dum flamma medullas Vrit amoris edax animumque libidine foeda Correptum stimulat quaevis in crimina vitae! O crudelis amor! quam dulci tincta veneno Spicula, quam tacitos ludens iacularis amores, Dum falsum medicata ferunt unguenta nitorem Et foedas cerussa genas fucata colorat! O crudele nefas! nondum fallacis amoris	90
		95

	Vim saevam nosti et proprio cadis ense peremptus.	100
	Sit Camarina procul - numquam sine vulnere corpus	
	In Venerem solves -, blandusque Cupidinis ignis	
	Et tibi dirus amor; pariet mortemque voluptas.	
	Sed ecce, properat dubius, incertus, vagus	
	Animoque praeceps, qualis in Lybicus leo	105
	Iugis cruento saucius telo furit.	
Syb.	Amore caeco nascitur caecus furor.	
Pomp.	O Flora! Flora! floscule o animi mei!	
	Columen! voluptas! vita! delictum! salus!	
	Medulla cordis! dulcis o favus meus!	110
	Quo me furem flammulis trahis tuis?	
	Quo me retardat animus, invitum rapis.	
	Sic furere nunquam belliger docuit Deus,	
	Amare nunquam taliter mollis Dea;	
	Me praepotentem viribus fecit ducem:	115
	Omnes per artus serpit invisus calor	
	Vritque pectus, totus in furias eo.	
Gem.	Salveto styrpis inclytum clarae decus,	
	Cuius beabunt laureae frondes caput.	
	Quis saevus adeo pectus exagitat furor?	120
	Animumne victum Veneris imperio dabis?	
	Mollisque fortem sexus invertet virum,	
	Diversa cuius mens, arundo ceu levis,	
	Partes in omnes flectitur? ridet modo,	
	Deinde plorat, semper alternat vices.	125
	Non una facies, animus haud unus manet.	
	Quae tot superbos stravit Heroës, quoque	
	Te versipellis mente generosa virum	
	Induere coget foeminam, ignobile genus?	
	Potius in imum Tartarum praeceps ruas,	130
	Vicisse vafram foeminam foret satis	
	Illamque foedam generis humani luem.	
	Claros triumphos dira sorbebit Venus	
	Viridesque lauros, Roma quas victrix parat?	
	Resipisce tandem, pestilens virus vome,	135
	Extingue calidi cordis ardentem rogam.	
Pomp.	O dura nimium monita! Pompeium tuum	
	Stimulans severis cogis absumi rogis	
	Ignemque subdis admonens, ut acrius	
	Cordis caminus aestuet; capiat novas	140
	Hinc, inde flammam! stimulus est animus sibi	
	Ardensque fornax, concoquet foedum malum.	
Gem.	Accensus animus coquere se tantum potest,	
	Scelera nequaquam Veneris. est vindex rogam	
	Animus remordens, subiicit flammam sibi;	145

Et luce captus, nescius foedae Stygis  
Vorticibus agitur. ultor est animus sibi  
Sceleris nefandi: vindices paenas fuge,  
Furiasque mentis improbas.

- Pomp. Flora renuit,  
Perpetua mentis hospes.
- Syb. est hostis magis. 150
- Gem. Tu, qui superbis calcibus lunas premis  
Altumque sydus subditum plantis tenes,  
An non iisdem Thessalam Floram premes,  
Quae dira foenum bellua in cornu gerit,  
Acuminatam cuspidem modo tegens? 155  
Heu, quot Lycurgos et quot Aiaces suis  
Destituit armis! quos nec irati Dei  
Nec impotentis subdidit fortis furor,  
Leviora tentans subdit hos Cypris sibi.
- Pomp. Inimica Flora! Ditis inferni nimis 160  
Metuenda pestis! dira Tartareae domus  
Horridaque furia! perfida! insana! impia!  
Infame mancipium! hinc pedes effer procul.

### Scena tertia

<Flora, Sybilla>

*Flora repudiata a Pompeio in rabiem vertitur.*

- Flora O quotquot hydris squallidae horrentes comas  
Eventilatis, luridam pestes facem 165  
Subite pectus istud et solido ferum  
Munite aheni, ne impio victam sinu  
Inimica foveat terra vel tantum scelus  
Adspiciat umquam desuper simulans polus.  
In tam nefando scelere languescunt Dii 170  
Nec in nocentes sulphur et flammam vibrant?  
Trifidumne lassus Mulciber fulmen negat  
Novumque renuit cudere Aethnaeis rogis?  
Friget caminus vindicis coctor necis?  
Nudus Pyragmon membra iam victus cubat 175  
Crudele simulans facinus? aut, si quos fovet  
Atri ministros fulminis nimium ferox  
Tellus Cyclopum, viribus languet suis  
Iam destituta, flammeo ut neget specu

	Mittere furentes? Iupiter scelus probat!	180
	O lenta nimium Numina! o Iovem improbum!	
	Furore nostro fruitur, est illi furor	
	Amore Florae charior; etenim suae	
	Defendit artis aemulum et fraudis simul:	
	Iunone pulsa saepe violavit toros.	185
	Simulare cogit similis impietas Iovem.	
	Sceleris nefandi complices Deos habes?	
	Committe scelera, facilis et culpa est levis.	
	Sunt laesa iura, laesus est Florae pudor.	
	Similis furoris conscium Numen tenet	190
	Pompeius, haud est virginis laesus pudor.	
	Causam nocentum suscipit legum arbiter.	
	Audebo crimen: pascitur malo Tonans.	
	Si quod furentis Phasidos fuit nefas	
	Dirum, cruentum, pestilens, atrox, mihi est	195
	Iam iam patrandum, pectus armatum gero,	
	Animos feroces, perfido dignos duce.	
	Quamvis gelatas premere deberem nives,	
	Licet per aspera Caucasi ferri iuga	
	Futura praeda tygribus, numquam hoc probrum	200
	Patiar inultum: saeviet furor et amor.	
Syb.	Sic castra quisquis Cypridis sequi cupit,	
	Sibi suisque grande supplicium parit.	
	Est tacita pestis Cypris, est blandum malum.	

### Scena quarta

<Pompeius, Sybilla, Fames, Morbus, Impietas, Pietas, Spes, Victoria>

*Pompeius furiis Florae quasi anceps animi factus deliberat, utrum castra Veneris an Martis sequi velit. dissuadent bellum Impietas, Morbus, Fames, suadent autem patriae Pietas, Spes, Victoria.*

Pomp.	Humana quantis vita iactatur malis!	205
	Pontique fluctuantis instar, quem potens	
	Iactat procellis aequoris magni Deus	
	Et turbulentis fluctibus celsos polos	
	Lavat tridente saeviens. Superis minas	
	Intentat unda, Tartarum pulsans modo,	210
	Vtrumque regnum turbat atque ipsum Iovem,	
	In varia cogit exulem fugere loca.	
	Sic aeviternis vita iactatur malis	



	Paenisque semper premitur infelix novis! Dolor dolori, luctui est luctus comes.	215
	O me misellum turpe mancipium Deae Caecutientis! quo tuam rapit dolor Amorque mentem? caecus in diras agor Animi procellas! robur enervat meum Animosque saevos segnis invadit timor; Tumultuantes impetus cogit pati.	220
	Sibi repugnat animus et bellum movet Nimis tremendum. pectus exagitat metus. Quis aestuanti praelio finem dabit? Aut quis dolendis statuet aerumnis modum?	225
	Hic blanda roseis Cypris arridet genis Latebrasque cordis lumine vibrato ferit; Illic minatur sanguine et ferro potens Mavors cruento, pectus hirsutum gerit Et colla circum quassat horrentes comas Vultuque prorsus squallido intentat minas, Bacchatur, ardet, frendet, insanit, furit.	230
	Ast in sinistra laureum ramum ferens Et me benigno lumine adspiciens ducem, Hortatur, urget, instat, invitat, trahit. Igitur in arma protinus miles ruam. Pugnam triumphus, sanguinem laurus solet, Spolia, trophaea, plebis applausus sequi.	235
Syb.	Etiam nefanda bella comitantur mala, Caedes, rapinae, furta, violati tori.	240
Fam.	Quin bella sequitur languido gressu Fames, Et tenue nimium corpus infestat dolor; Hinc atra facies squallido torpet situ, Et moesta sterilis vastitas squallet soli, Quodcumque fuerat Cereris et Bacchi ferax. Benigna quondam fertiles agros Dea Ditare solita frugibus, fructus negat; Et triste semper incolens antrum Fames Passim vagatur, exerit mundo caput Nimis tremendum, patrium vastat solum. Pompeie, saevi Martis imperia fuge.	245
Morb.	Mortifera cunctas pestis invadit fibras, Lethale spargens toxicum et vagam luem, Subitque Morbus pallidis languens genis Tremensque gressu; laxa vix tegit cutis Tenues medullas, vincit oppressos dolor. Pompeie, saevi Martis imperia fuge.	255
Imp.	Pietate pulsa regnat Impietas ferox, Iniqua scepra vendicans; saevit, furit,	

	Minatur, ardet, sanguinem furens bibit	260
	Hiante fauce; fida perfidiae comes	
	Quaecumque tentat scelera, queis suos beat	
	Miseros alumnos, Martis invisum genus.	
	Cuius palestram sanguine et tabo oblitam	
	Sacrata fugiunt Numina et damnant feros	265
	Animi furores atque truculentas minas.	
	Pompeie, saevi Martis imperia fuge.	
Piet.	Hinc tetra fugite monstra Tartarae domus.	
	Bellum nequaquam sequitur Impietas ferox.	
	Armare dextras patriae Pietas iubet	270
	Et ire in hostes atque terribilem lacum	
	Terrae vorantis, vulnera et necem horridam.	
	Quando in cloacam Curtius praeceps ruit	
	Vivus patentem, nomen aeternum tulit	
	Et ora clausit horrido clausus specu	275
	Immane hiantis gurgitis; sed excita	
	Virtus profundo lucis aetheriae plagas	
	Superum curuli fulgida sedes petiit	
	Locumque claros inter Heroës tenet.	
	Virtute Codrus Martia quondam potens	280
	Animumque supra vulgus ignavum levans,	
	Vt iam ruenti patriae praesens opem	
	Adferre posset et cruore regio	
	Venalis esset laurus et populi salus,	
	Intrepidus inter hostium turmas stetit	285
	Et aere solvit pectus armatum prius.	
	Cristis micantem cassidem abiecit procul	
	Et, ut minanti cuspidi daret locum,	
	Nudata solvit pectora in funus vagum	
	Membrisque nudus aureum letho tulit	290
	Clarior amictum gloriae; ac Phoebus magis	
	Fulgens cicatrix aemulum vicit iubar	
	Toto coruscans orbe. sic suos levat	
	Virtus alumnos, gloria est mortis comes.	
	Mavortis igitur castra te sequi decet,	295
	Mars est honoris, gloriae et laudis parens.	
Spes	Cruenta sequitur funera et cladem quies,	
	Populansque corpus pestis abscedit procul.	
	Non semper alto sanguine rubebunt manus	
	Avidumque ferrum. dexteram et ferrum abluet,	300
	Quandoque Phoebus nocte discussa micans	
	Tristi coruscans exeret mundo iubar	
	Laetumque vultum. Daphnide ornabit comas	
	Rigidumque ponens belliger vultum Deus,	
	Blandis lacertis pectus hirsutum premet	305

	Suoque iunget pectori, ut capiat novum Ex Marte robur. ingeret cordi faces Sacraeque stimulos gloriae. virtus enim Laudata fervet, friget ignotus labor.	
	Mavortis igitur castra te sequi decet, Mars est honoris, gloriae et laudis parens.	310
Vic.	Adsum, potenti sceptrum quae vibro manu Et quae curuli flammea nubes seco, Potens, superba, dives Heroum parens, Locuples honorum, strenuos beans duces.	315
	Laurum virentem manibus adporto meis. Non dives illam lucus Augusti tulit, Sed sylva laetis frondibus semper virens Nemusque Superum munus acceptum dedit.	
	Haec ipsa sacras principis stringet comas, Si quando victor aureo vectus iugo Ages triumphos, Itali decus soli, Quos non superbi consulum fasces dabunt.	320
	Cruenta vincunt arma purpuream togam, Vexilla fasces, purpuram vincit sagum, Et molle studium bellicus superat labor.	325
	Mavortis igitur castra te sequi decet, Mars est honoris, gloriae et laudis parens.	
Syb.	Mars est ruinae, sceleris et lethi parens.	
Pomp.	In vota vestra pedibus et animo feror.	330

## Actus secundus Scena prima

<Pompeius, Sybilla, Terentius>

*Pompeius sub patre Strabone militans simul cum Terentio in Cynnae necem iurat.*

- Pomp. Nunc impudicae Veneris excusso iugo  
Liber vagatur animus et capit novos  
Intus calores. Martius sedet vigor  
Totumque pectus obsidet, procul metum  
Relegat omnem. iurat in Cynnae necem, 335  
Capitalis hostis: ense transfossus cadet  
Ruptoque mento turpe continget solum.  
Animo furores ingerit, subdit faces  
Intus flagrantes, stimulat in diram necem,  
Quodcumque Numen pectori insedit meo. 340  
In arma miles rapior et, quo me vocat  
Saevior Erynnis. sternere aut sterni decet.  
Per arma eundum est. arma victori dabunt  
Claros triumphos.
- Syb. arma sed dabunt quoque  
Miseranda fata. saepius victum premunt. 345
- Pomp. Bellona capiti laureum sertum dabit;  
Victusque Cynna fulgidum currum trahet  
Manibus revinctis, serviet victus suo  
Victori. an ille timidus, imbellis patri  
Indicet arma? bella Pompeio? o scelus! 350  
Imperia supplex nostra mox discet pati  
Et in paternos irruet pronus sinus  
Miseroque veniam poscet hanc dari sibi,  
Vt sit potenti vile mancipium duci  
Nostris superstes laudibus. tantum petet, 355  
Ne grata pereat victima inferno Iovi.  
Sed quid minando trahimus ingratas moras?  
Stringatur ensis: sanguinis rivi fluant  
Agros per omnes, arva purpureum bibant  
Ebria cruorem. Cynna sed primum mihi 360  
Propinet haustum, primus aut potet meum  
Hiante rictu. pectus obvium feram  
Ferro minanti, sed leves ludam minas  
Tremulumque diro transigam ferro latus.

(Actus II)	Ioannes Chrysostomus Loots, 'Pompeius Magnus'	13
Ter.	Sociemus animos: mortis ac vitae comes, Pompeie, semper fidus assistam tibi; Ibimus in hostes, spicula et cladem simul. Accensus animus totus in flammis abit, Venas per omnes sanguis ebullit meus. En, sempiterno pignore adstrictam fidem Habes amorem; manibus his iungas manus, Quas in cruentas hostium strages furens Armabo, dirus acrius ut surgat furor. In arma iuro, vulnera et variam necem.	365     370
Pomp.	Stygias paludes iuro et infernos Deos, Numquam resolvam foedus hoc Diis sacrum: Ibimus in hostes, arma et in lethum simul.	375
Syb.	Mutabit illum Proteus vultum cito Foedusque solvet saeva perfidia sacrum. Etenim superbos dona corrumpunt Deos.	380

## Scena secunda

<Perfidia, Sybilla>

*Perfidia ad violandam fidem se exstimulat.*

Per.	Quis me Deorum foetido clausam specu Minax furore cogit, has orbis plagas Ferox revisam? pellor in luem gradu Nimium citato, foedus ut fidei sacrum Animosque solvam. rapior infelix Dea Mihique semper noxium ferens malum, Perfidia. turpe Cynna flammatus iubet Scelus patrare: rumpere adstrictam fidem Pignore sacrato. reddit audacem furor Feroxque Erynnis; intus accendit rogos, Qui causat iras vindices. cavos iubet Oculos vibrare flammam et ignitas faces Spirare nares; pallor in vultu sedens Flammis severas concipit, animus prius Languere solitus impias armat manus. Age anime, patulis faucibus modo ruas Fovensque furias impium patra scelus. Opulenta namque dona spondebit tibi Terentioque Cynna, quae Deum fidem	385     390   395
------	--	---

- Fregere quondam. perfidis victus cadet  
Pompeius armis. 400
- Syb.                                   perfidum vincet scelus  
Syncera virtus. praevalet fides dolo.
- Per.    In praepotentis iuro Pompei necem.

### Scena tertia

<Cynna, Nobiles II, Sybilla, Terentius>

*Terentius a Cynna persuasus et donis corruptus Pompeium suscipit interficiendum.*

- Cyn.    Quicumque princeps Martium pectus gerit  
Et arma fortis tractat intrepida manu, 405  
Consilia volvat animo, ut illustrem sibi  
Paret triumphum et gloriae pateat via.  
Sed iam reclusus omnis est aditus mihi:  
Manus et arma iungit hostilis cohors,  
Terentiusque iurat in necem meam 410  
Ingensque robur addit invicto duci.  
Hinc insolescit, frendet, insanit, furit;  
Vnita virtus ingerit gravem metum.
- Nob. I. Confoederata pectora in mortem ruunt  
Cladesque miseras hostibus ferunt suis. 415
- Nob. II. Saevire cogit foederis sancti fides.
- Cyn.    Huic mederi convenit prius malo.  
Terentianus animus et virtus mihi  
Tentanda iam sunt. vincitur dono fides  
Doloque virtus. iura dissolvit sacra 420  
Gemmata moles, lumen incautum rapit  
Fulgor metalli. semper in luxum est sequax  
Iuvenilis animus, mollis, inconstans, levis.  
Tentabo crimen. visat ut nostros lares,  
Supplex rogato.
- Nob.                                   victus hic aderit tibi 425  
Sanctamque solvet, quam prius dederat, fidem.
- Syb.    Venalis auro perfidi est iuvenis fides.
- Cyn.    Bacchus potentes, qui sacrum clavum tenent  
Reique praesunt publicae, stravit duces.  
Quos orbis ille tremuit, hos neci dedit. 430  
Invicta Troia Phrygibus occisis gemit  
Sepulta vino: Priamus occisus iacet.

- Si quando flagrans influit menti merum,  
 Et intrat arcem, quam ratio praeses suis  
 Tuetur armis; robur enervat merum, 435  
 Et victa ratio concidit victrix, potens  
 Virtus Deorum. hinc sana consilia dare  
 Periclitanti nescit, in quodvis scelus  
 Accensa rapitur; sana quod fugit malum,  
 Insana sequitur, vulneri ferrum parat. 440  
 Trophaea referet Bacchus et laurum mihi.
- Syb. Erit potenti fortior Plutus Deo.  
 Vt stringit oculos fulgur e pelvi micans  
 Captosque falsus Iridis ludit color,  
 Sic et metalli fulgurans splendor capit, 445  
 Rutilansque avaram decipit mentem color.  
 Adulterare iura sed nullus potest.  
 Astraea virgo semper aequalis sibi est.
- Ter. Salveto princeps. laribus, en, sistor tuis.  
 Si causa faveat, pectus hoc fidum tibi 450  
 Sacrumque nosces sanguinem; ast aequum peto.
- Cyn. O mi Terenti, dulce delictum meum  
 Et vita cordis, gloriae comes meae!  
 Arcana nostri pectoris pandam tibi  
 Clausumque amorem. gloriae est hostis tuae 455  
 Pompeius, audax, insolens, perfidus, atrox;  
 Hostilis animus, causa non belli favet.  
 Fidele amici pectus abiurat, parum  
 Fido fidelis. rumpe, quam dederas, fidem.
- Ter. Quicumque fidei iura dissolvit sacrae, 460  
 Sacrilegus audit.
- Cyn.   audies patriae lues  
 Aliudque peius, Itali pestis soli.
- Ter. Vtrumque pectus sauciat crimen meum!  
 Si rumpo foedus, Punicam probo fidem;  
 Si servo, triste patriae exitium vocor. 465  
 Suspensus haeret animus, amplecti malum  
 Quid optet. illud cordis incerti peto,  
 Nunc rursus aliud. inter et saxum et sacrum  
 Iam positus angor. solvere an foedus sacrum  
 Fidemque poteris pectoris zonam tui? 470  
 Vt fecialis desuper fulmen vocet,  
 Quod crimen urat, turpe perfidiae nefas?  
 Nefanda potius viscera in flammis feras,  
 Et ima cordis igne Tartareo micent  
 Animamque tetram fauce flammifera vomant. 475  
 Pompeius intus ardet et subdit faces  
 Nimium calentes. impium fugio nefas.

- Cyn. Dum fugere simulas, impium sequeris nefas.  
 Quicumque stabili consulit regni bono  
 Nociva rumpens foedera, est nihil nocens. 480  
 Proinde caecos impetus mentis doma  
 Caecumque amorem: luditur dolis amor.
- Syb. Etiam nefandis vincitur donis amor.
- Cyn. Fidele votis exhibe pectus meis,  
 Dolosa cautus pacta Phoenicis fuge, 485  
 In cuius animo statio ventorum furit.  
 Nunc huc et illuc rapitur, incerti Noti  
 Boreaeque lusus. sortis hoc ludibrium,  
 Freti procellam semper instabilis fuge.  
 Chamaeleontis indolem sumit sibi 490  
 Ponitque rursus, Proteus vafer suas  
 Variat figuras. perfidum vita nefas.  
 En, quidquid Hermus aureis divos vadis  
 Tagusque lucens volvit aut cernit Thetys  
 Candensque Phoebus lustrat et tellus sinu 495  
 Radiante nutrit, quidquid Idaliis rosis  
 Condit voluptas, in tuum luxum fluet,  
 Si foederatos abneges animos duci  
 Datamque solvas iure sacrilego fidem.
- Ter. Mihi doloso potior est auro fides, 500  
 Sed fraude fraudem vincere et dolum dolo  
 Haud est iniquum. capio et infero malum.  
 Favet innocenti causa, dum patitur prius.  
 Locrense solvam foedus et perdam scelus,  
 Cui nec ara, Numen, aut fides fuit. 505
- Cyn. Quod si furores barbaros feri ducis  
 Animosque celsos frangere et victos dare  
 Cupias premendo, tuta praesidia feram.
- Ter. Licet furentis timeo Pompei manus  
 Ingensque robur aestuans addat furor, 510  
 Armabo contra pectus et tollam impium.  
 Virtute facinus an dolo fiat, parum est  
 In hoste. somno victus et dulci mero,  
 Si quando corpus ponet ardenti toro  
 Vino sepultum transigam ferro latus. 515
- Cyn. Sic, sic agendum est. occidat dira nece  
 Ferox Erynnis, patriae pestis, lues  
 Noxia togatae gentis, invisum Diis  
 Tetrumque monstrum. pereat et suum vomat  
 Moriendo virus. exspuat animam suam. 520



## Scena quarta

<Terentius, Pompeius, Sybilla, Perfidia>

*Pompeius animum suum ad acriter pugnandum accendit et insidias inter caenandum sibi a Terentio structas subolet. quem dum vino inebriasset, periculo se subduxit, Terentio interim plures per stragula ictus adigente.*

- Ter. Salve potenti digna progenies Deo.  
 Ad bella nondum classicum cani iubes?  
 Animos feroces frangit hostilis metus?  
 Ad arma velox miles et ferrum volet.  
 Iungemus hastam, robur et vitam simul. 525  
 Tollendus hostis: saepius tristem tulit  
 Regnis ruinam, dum scelus inultum manet.  
 Etenim potentis imperi moles cadet,  
 Si quando lentae frigeant ducum manus.  
 Armanda ferro dextera est et obvium 530  
 Obiicere pectus hostibus, suadet gravis  
 Et imminens ruina patriae. sagum  
 Toga reiecta corpus armatum premat.
- Pomp. Cruenta quisquis bella sanguineo sequi  
 Exoptat ense, pectus obduret malis. 535  
 Animo furores, Caucasum mente induat;  
 Abiiciat arma mollia et pavidos metus.  
 Absit, trementi capiat ut scutum manu,  
 Hastam vibratam timidus abiiciat pugil  
 Terrente pavidum bellico corpus metu. 540  
 Tentanda virtus sulphure et flamma et Iovis  
 Quoque fulminantis ira. in hostes sunt Deos  
 Movenda castra, fulmini obviam decet  
 Ruere vibrato. Iupiter animos probat,  
 Parcit animosis, rigidus ignavos premit. 545
- Ter. Virtute pectus quisquis armavit suum,  
 Timere nescit; temnit ignavos metus.  
 Quid ergo lenti trahimus ingratas moras?  
 Hostis cruorem sitio, quem victor tibi  
 Patulis propinam faucibus; ravidam sitim 550  
 Sanguis levabit bulliens, rivi fluent  
 In ima cordis, fervidos haustus bibam.  
 Non est, fidele pectus ut quaeras tibi.  
 Sum praesto: sanguinem cernes meum  
 Testem fidelitatis et pignus sacrum. 555
- Syb. Adstruere certam perfidi solent fidem,  
 Sub melle amoris felleum tegunt malum.

- Pomp. Amoris istud pignus acceptum fero,  
 O mi Terenti, mortis et vitae comes.  
 Amore crescens ferveat fides magis, 560  
 Acresque stimulos patriae ferat salus.  
 Belligera Pallas aegidem obiiciet suam  
 Laevamque solvet, ore saxifico necans  
 Hostes rebelles, Italo infestos solo.  
 Iungamus arma: Pallas aeternos vovet 565  
 Ducibus triumphos, spondet immensas opes  
 Spoliis opimis. Cynna prostratus cadet,  
 Fuso cruore nobile ut faciat sagum.  
 Ad hoc fideles exigo tantum manus  
 Et pertinacem cordis obstricti fidem. 570  
 Quocumque fugiet Cynna, persequere scelus.
- Ter. Qua parte Phoebus mergit oceano caput  
 Equosque solvit, sive qua solet prius  
 Lustrare tristem nubibus pulsus polum  
 Croceoque fulgens aureas vultu fores 575  
 Aurora pandit, persequar tantum scelus.  
 Vastis Averni faucibus Cynnā dabo  
 Diglutiendum, rictibus cuius paret  
 Immane monstrum! perfidum! ignavum! impium!
- Pomp. Cruore purpurata iam tellus fluet, 580  
 Et fonte Cynna flumen augebit suo,  
 Taboque marcens unda Phlegetontem petet,  
 Stygias paludes sanguine ut suo iuвет.  
 Hunc Pluto eisdem volvat immersum vadis,  
 Qui sacra fidei iura violarit prius. 585  
 Verum falerno ferveat potius amor,  
 Bacchusque fortes glutinet simul duces.  
 Gemat Lyaeo venter et multo manus  
 Gravida metallo; ferveat potens Deus.  
 Consilia belli crastinus feret dies. 590
- Ter. Iam serus altos Hesperus suadet toros,  
 Oculosque victos occupat gravis sopor.  
 Proinde lassa membra restauret quies.  
 Oriens beatum Lucifer vehet diem,  
 Laetusque niveis veniet advectus rotis. 595  
 Vale igitur alti sanguinis germen novum,  
 Columen Quiritum, fulgidum regni decus,  
 Columna stabilis imperi et Romae basis  
 Iam iam labantis; robur invictum induas.
- Pomp. Et tu nigrantis spatia transmittens poli, 600  
 Nostri medulla cordis et populi salus,  
 Anchora ruentis patriae, in Phoebi novum

- Surgentis ortum, pectus in bellum para  
Et sis salutis forte praesidium meae.
- Ter. Ero salutis forte subsidium tuae. 605
- Syb. Simulans, lacunar spectat interdum, aut graves  
Ex ore ronos ducit, ast notat scelus:  
Sic ille tacita mente dissimulat malum.
- Pomp. Praesagit animus omen infaustum sibi  
Pavidumque saevos corpus in motus trahit: 610  
Flammatur, alget, punicat, pallet, tremit;  
Dubios tumultus patitur et motus graves.  
Pompeie! grandis imminet casus tibi.  
Sors est noverca; fata quae fugere potes,  
Fuge ocyus. flagella quae feriunt, fuge. 615  
Est Numen aliquod intimos nostri movens  
Animi recessus, admonet praesens malum.
- Ter. Patranda iam sunt scelera, queis victum opprimam.  
Multo falerno madidus incumbit toro  
Pompeius, altus opprimit mentem sopor. 620  
Tentare tacito convenit crimen pede  
Fortique dextra, tremula sed cohibet manus.
- Per. Vanum timorem pectore excutias tuo.
- Ter. Hoc saevum in ima pectoris ferrum tuli  
Vulnusque geminans abdidi capulo tenus. 625  
Nox atra caecis nubibus crimen teget.
- Syb. Lux clara pulsus nubibus pandet scelus.

### Scena quinta

<Pompeius, Sybilla>

*Pompeius, cognitis insidiis Terentii violatoque fidei sacramento, acerbissimo furore agitur in Terentium mortemque eidem minatur.*

- Pomp. Divos meatus mentis obstruxit merum  
Et atra bilis. in meum plures torum  
Adegit ictus; stragulum corpus fuit, 630  
In quod furoris impetum fregit sui.  
Sic Numen istud, criminis vindex feri,  
Quod innocentes iure defendit suo,  
Inane fecit corporis vulnus mei.
- Syb. Benigna semper Numina insontes iuvant. 635
- Pomp. Non sic Lycurgus caedibus pascens gulam  
Avidam cruentis in suos atrox furit,

Vt hic nefando vulnere ferrum tulit  
 Acuitque diram cuspidem in cladem feram.  
 Fuit hostis hospes; id mihi pretium dedit 640  
 Fidei et amoris. caluit in caedem impiam  
 Furiasque Bacchus, impotens tamen fuit.  
 Mavors dolosas pandit insidias mihi.  
 At tu, sceleste! perfide! insane! impie,  
 Fidelitatis iura persolves mihi, 645  
 Laesam rependens sanguine effuso fidem.  
 Sic fraude fidum Punica ludit ducem  
 Et me nefandis decipit captum dolis?  
 Sit fulminanti saeva maiestas Iovi  
 Mihique laeso, liceat invisum scelus 650  
 Abolere ferro; sancta sic iubet Themis.  
 Duces Pelasgos sequitur, infidum genus,  
 Variamque pellem pardalis sumit sibi;  
 Sed illa fiet hostis exuvium feri.  
 Oetaeus haud sic Nestorem iunxit sibi 655  
 Pythiamque Damon, iunxit ut duos amor,  
 Et me Terentiumque; sed rupit prius  
 Animi catenas. liberos sciet modo  
 Mentis furores, liberas tremens quoque  
 Et expeditas noscet in caedem manus. 660  
 Qui quondam Orestes, Atrius fiam modo.  
 Etiam nepotes impium facinus luent,  
 Quod perpetravit vulnere incasso manus.  
 Sanguineus ensis patrios etenim focos  
 Polluere numquam desinet. ebrius bibet 665  
 Sitietaque rursus sanguinem. si quod merum  
 Suave tellus regibus quondam tulit,  
 Hostis cruore dulcius numquam meo  
 Dabit palato: os proluam quantocius  
 Spumante sanguine, hauriam dirum nefas. 670  
 Pompeie! poteris hospitem quondam tuum,  
 Animi voluptam perdere? hoc poteris scelus?  
 Truncumne corpus cernere? avulsum caput,  
 Quod ore toties, corde sed puro magis  
 Exosculatus, in sacras rui genas? 675  
 Amor repugnat; imperat iustus furor,  
 Vindexque Erynnis stimulat in diram necem.  
 Inhospitales Caucasus locum sibi  
 In corde quaerat. gratus est hospes mihi,  
 Patrare quisquis cogit immensum malum. 680  
 Tentanda sunt extrema. vel mihi inferet  
 Lethale vulnus aut capiet. ensis meum  
 Aut hostis illud Punicum figet latus.

Cocytus animi fervet atque se vorat  
 Terentiumque perfidum simul coquet. 685  
 Amor salutis causa, sit mortis furor.

### Scena sexta

<Antistius, Antistia, Pompeius, Nobiles, Sybilla>

*Antistius Pompeio ex bello reduci et victori Antistiam filiam coniugem offer-  
 fert, quam ille benevole acceptat.*

- Ant. Mi gnata! Magnus veniet in manus tuas  
 Pompeius. etenim Martio florens sago  
 Thalamos beatos faciet et partu inclyto  
 Lustrabit altum stemma; surget in novos 690  
 Victor triumphos, queis suum semper genus  
 Attollet.
- Anti. illum virginis castae torus  
 Animusque castus renuit: hic sacer fuit  
 Thalamus Dianae, Veneris expulsor ferae.
- Ant. Erit nefandae Cypridis expulsor torus, 695  
 Si quando casta nobili nubes viro.
- Anti. Est praeferendus virginis sacrae pudor.
- Ant. Castus pudorem laedet haud thalamus tuum.
- Anti. Sacrilega sanctam solvero fidem.
- Ant. Hoc est parentis ultimum votum tui. 700
- Anti. Cedam parenti filia et vultu trucem  
 Capiam maritum, cuius in oculis cubat  
 Mavors cruentis, flammeas vibrans faces!  
 Feroxque Erynnis Martio in vultu sedet,  
 Geminata pestis. Marspiter et atro minax 705  
 Monstrum flagello, perfidia cui comes,  
 Monstrum priori tetrius, animi fores  
 Armata furiis obsident. terret nimis,  
 Dum saeva ruptis flamma visceribus micat.
- Anti. An ergo gnatam nubere ardenti rogo 710  
 Immitis optas, genitor? absumi cupis?  
 Praesentit animus imminens sibi malum.  
 Succumbo votis, vile mancipium viri  
 Superbientis. serviam supplex meo  
 Famula marito. vota sic patris iubent. 715

- Ant. Sunt sancta patris vota, quae prosunt tibi.  
Pompeius altis inclytum titulis genus  
Opibusque clarum ducit.
- Anti.    est parvo potens  
Egens honestas; nam nihil praeter salem  
Petit et cuminum, semper est dives suo    720  
Locuplesque virtus praedio. hoc mihi bonum,  
Parens, avarus invides. cedo tamen.
- Ant. Optatus, ecce, Martio venit gradu.  
Vultum Deorum sacra maiestas gerit.
- Pomp. Solvere cruento nolui ferro latus    725  
Reduxque saevum miles exuere sagum,  
Quin animus ardens peteret affatus prius  
Laresque vestros, patrios linquens focos,  
Serene princeps. sic tuus quondam favor  
Devinxit istud pectus aeternum tibi.    730
- Ant. Te Marte reduce Phoebus auspiciis novis  
Faustisque recreet. anxium pectus dedit  
Iniqua sortis alea et belli exitus  
Incertus.
- Pomp.    ille semper est certus viro,  
Cui celsa virtus nupsit et mentis calor    735  
In arma stimulans, maior est quovis malo.  
Cum forte ludit, quisquis est animo potens.  
Quem sat cruenta caede famosum dedit,  
Quodcumque Numen pectus invasit meum  
Acresque stimulos subdidit animo meo,    740  
Vt laureatus victor et princeps forem.
- Ant. Ergone caesis hostibus victor redis?  
Aut dissipata militum fugit cohors?
- Pomp. Redeo triumphans cuspidem thyrso gerens  
Cinctam virenti, laurus exornat comas.    745
- Nob. Vidi paventem Martem et impetus feros  
Iuvenis trementem: pallor insedit genis  
Mavortis atri, dum graves timuit minas  
Rigidosque nervos bellico pares Iovi.
- Ant. Pompeie, magnus superat aetatem vigor.    750  
Te tanta virtus iunget aeternum mihi;  
Et ecce, thalamis filiam dabo tuis,  
Cui coniugalis annulum fidei feres.  
Est liberali vultu et insigni valens  
Virtute mentis, facilis in sanctos toros.    755
- Pomp. Amoris istud pignus accipiam tui,  
Porprio cruore gratius. similes sibi  
Natura iunxit, impotens ut separet.

(Actus II)	Ioannes Chrysostomus Loots, 'Pompeius Magnus'	23
Syb.	Illos furores aura disiunget levis.	760
Pomp.	Mi sponsa! cuius ludit in oculis Venus Et penetrat altos cordis accensi rogos Populans medullas; pectus hoc sacrum est tibi.	
Anti.	Animus fideli nubere exardet viro Et, qui sacratos ense tueatur toros.	765
Pomp.	Fidei et amoris annulum certum cape, Fidelitatis pignus aeternum tibi. Benigna nimium Numina in sortem meam! Reducem triumpho duplici pugilem beant! Ducite choras, virgines: aether sonet, Sacrisque pedibus Tartarus pulsus gemat.	770

### Scena septima

<Senatores V, Constantia, Sybilla, Fama, Famulus, Pompeius>

*Senatus Romanus decernit, ut Pompeius tribus Imperatoribus, Carinnae, Caelio Brutoque, cum exercitu occurat. quorum ille agmina et universum exercitum dissipat.*

Sen. I.	Quam turbulentus sit modo regni status, Proceres, videtis. gravibus insurgit minis Solumque magnis vastat Ausonium malis Interna pestis. instat hinc Brutus ferox, Et inde Celius cornua in bellum levat; Furens Carinna copias iungit suas, Vt Domina rerum serviat turpi iugo Subiecta collum. saevit immitis Dea Quatientsque Mavors effero motu caput Languere solitus frendet immensum furens; Minatur, ardet, ringitur, spumat, fremit. Quis insolentis franget insultus Dei Dirosque motus leniet? populi salus A Marte pendet, saeva iam bella ingruunt. Vnita virtus hostium metui solet.	775
Sen. II.	Fortuna pectus metuit Ausonii ducis Rigidumque vultum suspicit: flammas vibrat Et ore et oculis, incutit pavidos metus Flammata facies; igneo vultu patrem Refert Quirinum.	780
Sen. III.	cedet haudquaquam suis Ignavus heros hostibus, laurum feret	785

- Victor superbus. non semel specimen dedit  
Virtutis altae, Martius crevit vigor.
- Sen.IV. Pompeius alto stemmate et robore potens 795  
Sit Imperator, fundet hostiles manus,  
Vt fecit olim. spolia, quae miles tulit,  
Animant furorem: caedet aut caedi volet.  
Vtrumque laudi est: gloriae sanguis datur  
Proprius vel hostis, quilibet laurum petit. 800
- Sen.V. Pugnando quisquis strenue occumbit, <sibi>  
Per arma gloriae viam sternit. Diis  
Traiecta telo corpora aut ferro placent,  
Exosculantur vulnerum sanctas notas.
- Con. Fulget cicatrix aureis plusquam vadis, 805  
Monumenta laudis inclytae secum trahens.  
Pompeius altum pectus in Martem fovet  
Et rupis instar temnit insultus graves.  
Perire virtus, multa quae patitur, nequit.
- Syb. Adulterata fallere ast multum potest. 810  
Mentita virtus criminis locum tenet.  
Est fidus armis, perfidus miles toris.  
Ast sacra virtus integro constat bono.
- Fama Non falsa magnis Fama Pompeium canit  
Clarum trophaeis, vera quae virtus dedit. 815
- Sen.I. Huc advocetur igitur, ut princeps novo  
Honore clarus, arma Sithonii ducis  
Assumat ardens, induat animos feros.
- Famu. Complebo iussa.
- Sen.II. praemiis trahi solet  
Generosus animus: rapitur in Martem furens, 820  
Si quando sperat inclytam laurum sibi.
- Pomp. Magnanime princeps, Martii fervent equi  
In bella, pulsant pedibus ignavum solum  
Et ore flammam, naribus et oculis vibrant;  
Animata fervent pectora et spirant Iovem 825  
Fulmen rotantem Martium. et meum quoque  
In dira pectus vulnera et caedem calet,  
Nostrum cruorem patrium quando solum  
Necnon Quiritum dubia deposcit salus.
- Sen.I. Est gratus ille pectoris vigor tui, 830  
Et rara pietas patriae. hunc animum fove,  
Quem bellicosus indidit fibris Deus.  
En, militares copiae suberunt tibi,  
Vt, quae timemus, ocyus tollas mala.  
Carinna, Brutus, Celius insurgunt simul. 835  
Hinc prome, quidquid virium clausum latet;  
Dux bellicose, pectus Herculeum geras,



	Exere furores Martios: patriae feros Sentimus hostes. imperi nostri gravis Ruina praesto est, obvium nisi feras Pectus furori barbaros sternens duces.	840
Pomp.	Proceres, potentis imperi et regni bases, Si quid Quirinus roboris dedit parens, Si quid negavit, conferam in bellum ferox. Patriae sacravi sanguinem; impendam lubens. Per arma et enses gloriae patet via. Est aliquid immensum, arduum, invisum hactenus Mihi patrandum; flamma, quae pectus subit, In dira cogit funera et bustum ferum.	845
Sen.	Sic est agendum. fortis in Martem vola: Everte castra, caedibus campos reple.	850

### Scena octava

<Pompeius, Carinna, Milites, Scipio>

*Pompeius summus belli praefectus iam constitutus, se ad acriter pugnandum inflamat et Carinam in conflictu superat. quamobrem Scipio in rabiem versus, bellum adversus Pompeium cogitat restaurare.*

Pomp.	Pompeie! turpi servies victus iugo? Vexilla claro sanguine et tabo feret Inimica turba? iactet ut spolia potens Tumensque victor rapiat in laudem suam? Potius in enses obvium pectus feres Istumque facies sanguinem Diti sacrum. Superbientis impetum franges ducis Brutumque solves. occidet tandem suae Devota patriae victima; hoc animus iubet In arma fervens, patriae pietas iubet.	855
Car.	Ad arma, miles. luxit optatus dies, Quo sordidatum sanguinem mucro bibat Ignobilemque laticem, ut impium simul Sorbere crimen possit. audaci manu Vibrate ferrum. grandinans velut polus Campos virentes verbere immiti quatit Geminatque vulnus, taliter pulsant solum Mactata ferro corpora; horrido nimis Cadaverosus squalleat campus situ. Horrenda facies gloriae semper dabit	865 870

	Monumenta vestrae. nobilis bello locus Et strage facta strenuos referet viros. Volate in arma, milites: spolia dabunt Perampla victi.	
Milit.	concidet nudus suis	875
	Pompeius armis, dabitur in praedam feris.	
Pomp.	Generosa pubes, bella iam vobis movet Ignavus haeres Martis. en, languet manu Hostile ferrum. concutit mentem pavor. Sternite, secate, fundite ignavum gregem. Dum tela metuunt, tela tunc caesi ferant. Virens procaturo strenuos laurus viros.	880
Car.	Sic insolescit hostis et rigido Iove Dignos lacertos despicit? strage horrida Martia probate pectora et fuso sagum Tingite cruore; patrius hoc genius petit, Vt satiet avidam sanguis hostilis gulam. Conferte signa. pereat invisum genus.	885
Pomp.	Emasculata pectora in fugam cito Abiere versa. didicit imperia pati Scelestas turba, contumax, tumens, nocens. Agite triumphos, milites: lauro caput Cingite superbum. crinibus vestris dedit Istas olivas Brutus et Scipio suis Nudatus armis, timidus, ignavus pugil.	890
Scip.	Occidimus ergo? tenuit hostilis phalanx, Quae fecit arma purpurata Marspiter? Occidimus? iterum occidimus? adversos Deos Tulimus cadendo? temet exhibeas Deum, Intrepide Scipio. repete, quae spolia tulit Inimicus hostis. agmen infestum premas Vel ipse cedas hostibus. etiam Diis Potens resiste vel impotens succumbe; par Erit triumphus. bella cum fatibus gere. Si quando sumptis imminent armis Dii, Cecidisse laudi est. in acies medias rue. Cruenta quidquid carmine infami potens Medaea nondum falce succisum dedit, Quidquid nocivi fervida retinuit sibi Lybia cruoris, quidquid ignotum foveat Adhuc scelestis Caucasus, quidquid salum Recludit undis, horridum quidquid sibi Stygii reservat limen obscurum Iovis Tellusque et aether, perfidum, invisum, impium: Iam pectus istud subeat. instigat furor In dira nimium funera et cladem feram.	895 900 905 910 915

Hoc perduellis ense Pompeius cadet.  
 Conflare fortes militum turmas decet.  
 Pars una caesa gloriae dedit locum,  
 Pars alia superest gloriam petens sibi. 920

### Scena nona

<Pompeius, Nuntius, Nobiles, Scipio,  
 Duces Scip., Milites Scip., Armiger>

*Scipio novum bellum indicit Pompeio; dumque in campo utriusque acies constitisset, duces Scipionis salutatis Pompeianis ducibus a Scipione deficiunt.*

- Pomp. Mactare sacras victimas decet Iovi.  
 Est caesus hostis, pulsus est partim metu  
 Partimque ferro. Roma produxit ducem,  
 Qui castra vertat, frangat insanas minas  
 Roburque Martis; corporum horrendam struem 925  
 Accumulet arvis. Phoebus attonitus stetit,  
 Quando cruentus pulvis infecit polos  
 Clarusque fugit obice nigranti dies.
- Nunt. Illustris heros, viribus sumptis furit  
 Prostratus hostis: impetu caeco ruit 930  
 In arma et enses, ardet in pugnam ferox,  
 Et bella Scipio consul indicit tibi.
- Pomp. Scipione bella? vach, pudet dirum nefas!  
 Scipione bella? timidus an tygridem leo  
 Damaque leonem provocat? foemina virum? 935  
 Et mene Scipio? spirat in diram necem  
 Miserasque clades animus accensus nimis  
 Vrente flamma. sentiet Scipio meos  
 Iam iam lacertos. sentiet gens impia,  
 Ferox, rebellis, barbaras, infroenis, nocens 940  
 Imperia nostra. froena iam cogam pati.
- Nob. Cruenta bella dissipent tantum nefas  
 Dirumque frangant pectus hostiles manus,  
 Invicte princeps. tuta praesidia dabit  
 Et clara regi belliger feret Deus 945  
 Trophaea, laetae principem tubae canent.
- Pomp. Vastabo cuncta: moesta discedet Ceres  
 Et rusticana Numina in celerem fugam.  
 Tristis tubarum clangor in specus aget  
 Homines Deosque. bellicus Mavors furet; 950

	Foedabit aedes principum turpis cruor, Fugient penates caede pollutas domos Nostramque metuent dexteram et ferrum trement. Quicumque nescit principem, discet pati.	
Nob.	Sic, magne princeps, spiritus magnos fove Tuique semper similis infroenes doma. Distringe gladios, expedi in caedem manus, Vt corpus ense Scipio transfossus cadat.	955
Pomp.	Quamvis ut alta Phalaris imperio tumens Animos superbos celsius coelo levet, Pectus Creontis induat et Erebum petens Stygios furores ore pallenti bibat, Illos Averno faucibus ruptis vomet Vmbrasque repetet horrido torpens situ Et indecoro pulvere horrentes comas Taboque mixtas inferet foedae Stygi. Sic, sic triumphans inferos victor petet Tristesque manes; nuntium Diti feret Ducibusque victis, sceleris ultores Deos Superesse meque styrpe Divorum satum. Accurre, miles: fortis in bellum vola. Vos laureatos hostis in campum vocat. Redintegrare bella, quis caesus cadet, Praesumit atrox Scipio, sed suo malo Tentabit arma, clade miseranda obrutus. Distringe ferrum, miles. en, campus patet, Cadaverosa messis ut surgat novis Opulenta spoliis. fundite ignavum gregem.	960 965 970 975
Scip.	Animosa pubes, imperi nostri salus, Armata fortem dexteram in stragem feram.	980
Duc.	Est ista Magno dextra Pompeio sacra, Qua, perduellis Scipio, prostratus cades, Piacularis hostia inferno Iovi.	
Milit.	Fugimus tyrannum perfidum et ferum ducem.	
Scip.	O dira semper Numina! o Martem improbum! Iterumne victus fugio? sic ducis gulam Superbientis pasco? sic erro miser Campos per omnes exul, extorris, vagus? Et vix meorum militum evasi manus? An sic nefanda principem lusit fides? O dira fata! invis! perfida! horrida! Adhucne vivis, Scipio? num tibi Deos Iniuriosos pateris et simulas scelus? Potius tyrannum temet exhibeas tibi, Medias in acies impetu facto ruas. Quin hoc cadaver aggeres altos iuvat,	985 990 995

	Largusque nostris profluens venis cruor Aduget undas? impetu simul secat Aratque campos, ebrium reddens solum? Quin moesta facies squallidos agros iuvat Visuque iniquos territat sibi Deos Et pascit illos? fugiat ex agris Ceres Scipione viso? fugiat ex sylvis Drias, Deserta tristes incolant striiges loca. Quin me Carinnae, Iupiter, iungis meo Ducibusque caesis? morte Mars fortes beat Et bellicosos milites. sed hanc quoque Irata Numina invident laudem mihi. Subire saevas hostium volunt vices. O me misellum! quam feros patior Deos! Quantisque victus opprimor princeps malis! Heu, quam severum cogor exitium pati! Scipione subdes hostibus collum tuis? Subdesne victus? consulem num te latet, Servile pondus nobilis quantum premat? Istudne patiar? potius in vivos rogos Avidasque flammis corpus invisum dabo. Suprema fata luctui statuent modum.	1000
Arm.	Dux magne, caecum mentis insultum rege, Meliora spera: vertitur sortis rota Et, quos noverca pressit, hos parens levat.	1020
Scip.	Sperare laeta prohibet immitis dolor, Sanamque caecus praeripit mentem furor.	

### Scena decima

<Pompeius, Sylla, Antistia, Sybilla>

*Sylla reduci ex bello Pompeio nuntiat Antistiam coniugem non satis fidelem toro extitisse. quare incitatus Pompeius Antistiam repudiat, iniqua persuasione Syllae Aemiliam ducit uxorem.*

Pomp.	Ad celsa quisquis tendit et laudis gradum Molitur altum, gloriae culmen petens, Per arma et enses, turbidi syrtes sali, Sanguine rubentes, rupium arduas premat Vastasque moles; feriat intrepido pede, Quaecumque metuit tristis umbrarum domus. Est nempe virtus arduo posita loco	1025      1030
-------	--	----------------------------------

- Tantumque magnis praebet accessum viris,  
Procatur alta pectora et claros duces.
- Syl. Invicte princeps, hostibus stratis redis  
Persaepe victor, coniugis numquam tuae.  
Victrix triumphat, venere conspurcat toros 1035  
Nefanda meretrix! patrios foedat lares  
Turpique luxu gloriam obscurat tuam.  
Quodcumque bello stemmati accedit novum,  
Venere nefanda detrahit; demens flagrat  
Adultera. ignis semper exardet novus, 1040  
Magisque flamma cordis accensi furit.  
Commune reddit corporis spoliū sui.
- Pomp. O dira mulier pestis! o Veneris probrum!  
Nostrosne coniux impudens violat toros?  
Castosque clari temnit accubitus viri? 1045  
Hoc coniugales crimen admittunt Dii?  
Lucina praeses coniugi? haud patiar scelus.  
Pellam impudicam Thaidem et foedam nurum.
- Anti. O mi marite! vinculum cordis mei!  
Animi voluptas! vita! delictum! salus! 1050
- Pomp. Infame scortum! gentis Ausoniae lues!  
Effrons! nefanda! pestilens! gradum amove.  
Truculenta Colchis, libera virum metu.
- Anti. Animi medulla! corculum cordis mei!  
Mellite coniux! dulcior quovis favo! 1055  
Adhuc lacessit Martius reducem furor,  
Vt te malignus genius in furias trahat?
- Pomp. Iustas maritum Numen in paenas trahit?  
Exigere laeso debitas thalamo iubet.
- Anti. Non sacra thalami iura, non laesi fidem. 1060
- Pomp. Paenam repudii iure violato lues.
- Anti. Igitur, adulter, coniugem spernis tuam?  
Tuamne spernis?
- Pomp. non meam.
- Anti. cuius igitur?
- Pomp. Adulterorum. Thessalam fugio nurum.
- Anti. An me, superbe, Thessalam fugis luem? 1065  
Et mene sagam?
- Pomp. fugio Medaeam impiam.
- Anti. Sic me scelestam Colchidem, coniux, habes?  
Amoris igitur annulum datum prius  
Repetas, adulter.
- Pomp. maneat infestus tibi.  
Studes nocere: perdidit clarum genus 1070  
Medaea dono.

- Anti.                                  munus hoc tutum est tuum,  
 Nocere posse. cordis hoc candor mei  
 Vetabat ante, iustus ast modo furor  
 Instigat acrius. senties virus meum,  
 Scelerate coniux - nomen exosum est nimis -,                                  1075  
 Scelerate miles! bella iam mecum geres;  
 nondum furentis Colchidis potens malum  
 Et arma nosti.
- Pomp.                                  noxium fuga malum  
 Vitare potero.
- Anti.                                  nempe sic ducem decet  
 Fugere insequentem foeminam. o timidum caput!                                  1080  
 Imbellis anime! quid tuos toties ferox  
 Iactas triumphos? sanguine rubenti sagum?  
 Congredere mecum.
- Pomp.                                  toxico es nimium tuo  
 Metuenda Colchis.
- Anti.                                  Phasidos manum times:  
 Atrox sequetur crimen accenso pede                                  1085  
 Antistia, ferae Colchidis geret vices.  
 Erit umbra sceleris impii et vindex simul.  
 Non muricatos figet ut miles gradus,  
 Qui saeva Martis tela, qui lethum timet;  
 Aderit flagello semper a tergo furens                                  1090  
 Et impudicam pellicem toro premet.
- Syl.                                  Aemilia, princeps, nobilis reddat toros  
 Et scelere purget. residet in vultu pudor,  
 Roseasque decorat sancta maiestas genas,  
 Quae sit fidelis coniugi custos sacri.                                  1095  
 Est liberali, quae placet facies duci.  
 Etiam superbis inclytum titulis genus  
 Traxit Metello; trabibus auratis micat  
 Series avorum, stemma qui clarum magis  
 Honore lustrant; opibus immensis beant                                  1100  
 Seros nepotes. cedat haec uxor tibi,  
 Quam vel furentes appetant Superi Deam:  
 Pro qua bicornis Iupiter taurum induat  
 Aut in canorum transeat cygnum furens.
- Pomp.                                  Aemilia pectus lancinat telis meum                                  1105  
 Vritque flammis; revocat ardentem pudor  
 Et coniugalis, quam prius dedi, fides.  
 Ast illa quoniam Colchis ac meretrix fuit  
 Sacrilega coniux, valeat infidum caput.  
 Aemilia nostros inclytos reddat toros.                                  1110
- Syb.                                  Aemilia monstrum pariet infestum sibi:  
 Nam fornicatrix parturit semper scelus.

## Scena undecima

<Aemilianae Puellae III, Antistianae Puellae III>

*Aemilianae puellae noviter nuptae Aemiliae applaudunt et commendant;  
Antistianae vero explodunt et plurima mala imprecantur.*

- Ae. I. O nimium tali Pompeius coniuge felix,  
Quae posset Cypris, possit quae nympa videri!  
Lumina sydereus veluti carbunculus ardent, 1115  
Et pendent niveo baccata monilia collo,  
Panniculusque genas roseas bombycinus urit.  
Flavas ventilat aura comas retroque relapsas  
Dissipat, ac late circumdant lactea colla;  
Caesariem crispat refugam niveamque flagellat 1120  
Vndique cervicem, fulvo simul implicat auro  
Vestibus intexto necnon flammantia velat  
Lumina, et alterno facies splendore coruscat.  
Cum Phoebos certare putes, ita flammeus ardor  
In vultu rutilat.
- Ae. II. vario depicta colore 1125  
Hinc facies ardet, madidum iaculatur odores  
Mirificos corpus: sylvam vivacis olivae  
Esse putes, gratas avidis ita naribus auras  
Adstat; parturiens campanum bacca venaphrum  
Non aliter sudat, tenues dum flatibus auras 1130  
Imbuit ambrosiis, caperet quos ipsa Minerva,  
Amplius in viva sylvam frondere puellam  
Admirans propriam. vano nemus usque labore  
Despiceret cultum, vernanti flore puellae  
Esse comes vellet nec odoros quereret usque 1135  
E sylva flatus, caeca tellure repostos  
Et nimis incertos.
- Ae. III. nymphas formosa per omnes  
Vt Venus incedit, tellurem aut syrmate verrit  
Purpureo aut fulvas subnectit fibula vestes,  
Quae gemmis auroque nimis curvata laborat. 1140  
Intingit bibulas ardenti murice pallas,  
Queis frontem decoret. thalamus regumque supellex  
Fulgentesque placent camerae, pellucida vitro  
Culmina et Assyriis variata tapetibus aula.  
Vive diu felix formosa coniuge coniux. 1145
- Ant. I. Vt pereat tali Pompeius coniuge coniux,  
Funereos subdat thalamis irata furores  
Nuptarum praeses, flammam simul ingerat hymen;



- Et mutet fortuna vices, formamque decusque  
Tollat et eximium deformet livida vultum, 1150  
Hoc precor: in tristem vertat sors omnia luctum.  
Semper atrox thalamis adsit Bellona flagello.
- Ant. II. Hoc precor, ut fidei persolvant praemia laesae  
Numina, quae statuant, ut sors haec omnia mutet.  
Pro dapibus Siculis pascatur carice venter, 1155  
Pelleque marcenti nasus carbunculet, ante  
Qui fluxit nardo, Cyprii venator odoris;  
Quem caries rodat, quem morsu vindice luxus  
Torqueat, et tenui mixtum bibat ore liquorem.
- Ant. III. Semper atrox thalamis adsit Bellona flagello. 1160  
Pectus edat cancer, quod luxu purpura vestit  
Regifico; corpus depascens ambiat ignis,  
Et nunc gemmata collum quod mole laborat  
Succumbens auro, torta sit cannabe fultum.  
Quaeque prius pariis stabant effulta columnis 1165  
Atria, cannitiae mutant: sub pauperis antrum  
Cogatur tuguri, laetas ductura choreas,  
Vt suevit teneras saliens lasciva per herbas.  
Cantharidum diros suavi pro nectare succos  
Vina ferant, placido moriantur membra sopore. 1170  
Semper atrox thalamis adsit Bellona flagello.

## Actus tertius Scena prima

<Antistia>

*Antistia ob sui repudium in rabiem vertitur mittitque litteras matri suae, quibus statum suum declarat.*

Anti. Heu, quam cruentis saucium telis iubent  
Nutrire pectus fata! quam diro premor  
Coniux dolore! semper infestos pati  
Cogor furentis sortis impetus! nihil 1175  
Concessit umquam stabile: volvitur suis  
Fortuna caeca motibus, cunctos rapit  
Rotatque secum, perfidos aequae premit  
Fidosque, tacito divitum lares pede  
Subintrat. heu, quanto dolore lancinas 1180  
Hoc triste pectus! semper in novos trahis  
Variosque sensus! fluctuat animus meus  
Inter procellas. coniugem fugat suam  
Perfidus adulter! polluit pellex torum.  
Cur non reflexis Gorgonis foedum caput 1185  
Adspicio colubris, versa ut in saxum meos  
Ponam dolores? heu, quibus crucior nimis!  
In quod tremendum misera transscribor malum!  
Me, me maritus coniugem negat suam!  
Et istud atrox pateris, Antistia, scelus? 1190  
Nondumne crimen pectoris fornax coquit?  
Ardens caminus vindices flammam negat?  
Iam furere discas: sulphur et flammam vibra.  
Chimaera vires aestuans ferat suas  
Ignemque foveat animi. id unum postulat 1195  
Furentis ardor. igneos antro globos  
Eiciat Aethna, Lypara, quos fovet sinu,  
Iaculetur ignes. mene consortem tori?  
Meusque coniux? Veneris o dirum probrum!  
Sic me maritus coniugem spernit suam? 1200  
Et adhuc silemus? arma non tractat furor?  
Sed languet intus? foeminam tandem exuas,  
Galeata coniux opprimas ducem impium.  
Caliginoso Tartari clausus specu  
Et flumine miser languido circum Stygem 1205  
Detrusus erret; cuius amplexae faces  
Manibus cruentis spiritum furiae doment

Praedamque diris unguibus lacerent suis.  
 Pestes Averni facibus instructae manus  
 Eumenides absint; impiis rigidum doment 1210  
 Animum flagellis, et magis solito furens  
 Megaera gravidas anguibus quatiat comas  
 Lacerumque mille corpus in partes secet  
 Sectumque rapiat. an nimis segnes Dei  
 Explodet iras horridi spuma sali 1215  
 Oriundus hostis? aliquod immensum et novum  
 Molitur ira fulmen et lentam coquit  
 Gravitate paenam. qualiter rauci maris  
 Dum saeva rabies mole perrupta aggerum  
 Validis procellis liberam canis viam 1220  
 Patefecit undis, caerulus furit Deus  
 Et ubique sylvas obruit et arva et domos  
 Bacchante fluctu; taliter laesus Tonans  
 Adulterum obruet atque remoranti graves  
 Diffundet iras, dextera ulturus scelus. 1225  
 Proinde gemino criminum vindex polus  
 Fragore terras quatiat, et diro fremant  
 Quassi boatu concavis montes iugis,  
 Crebrumque nube fulmen elisa micet,  
 Vt fulguranti pertinax missas plaga 1230  
 Flammas adulter sentiat. pereat Iovis  
 Vltrice dextra, sitque grassanti malo  
 Medicina fulmen. interim, comites meae,  
 Ista tabellas filiae matri date.

## Scena secunda

<Pompeius, Nobiles II, Sybilla>

*Pompeius anxie et curiose inquit, quomodo se gerat Antistia in repudio. cui denuntiat extremus illius furor et desperatio.*

Pomp. Cruenta dubios quo rapit tectis pedes 1235  
 Medaea? quonam pectus accensum gerens  
 Furoris igne fertur? insano malum  
 Quod volvit animo? quod furor parat scelus?  
 Nob. I. Citatus ira vultus horrescit, riget;  
 Tumidumque quatiens effero motu caput 1240  
 Bacchatur, horret, aestuat, gemit, furit,  
 Trucemque varius cedit in vultum color

- Mutatque speciem semper. immixto genae  
 Rubore flagrant; candidus sed mox subit  
 Malas rubentes pallor, et nullum diu 1245  
 Vultu colorem servat, alterna vice  
 Variante formam: pallet, ignescit, fremit.  
 Nob. II. Vt Caspia tygris lumine irato minax  
 Infrendet, ardet, ungue crudeli furens,  
 Sic simul amoris igne et irarum calens 1250  
 Antistia furit. huc et illuc, turbidum  
 Sedare nequiens motum et irati truces  
 Animi procellas, fertur accenso gradu  
 Furiasque spirans iurat in necem tuam.  
 Pomp. Fremat furatque, turbido in vultu truces 1255  
 Obliquet oculos; tristibus rugis plicet  
 Frontem superbam. fervidas spumas vomat,  
 In nostra iuret funera et tristem necem  
 Ignava meretrix. vindicem viri manum  
 Tremebunda metuet, fugiet e regno procul. 1260  
 Syb. Quandoque adulter fugiet a Superis procul;  
 Quae differuntur, acrius feriunt mala.  
 Et illa saevum fugere Pompeium potest,  
 Non hic vicissim poterit iratos Deos.

### Scena tertia

<Antistiae Mater, Antistiana(e) Puella(e), Mors>

*Mater Antistiae acceptis litteris in furorem versa seipsam interficit.*

- Mat. Quis me Deorum pellit in tristes metus 1265  
 Animosque dubios? obsidet mordax dolor  
 Interna penetrans, intimos cordis mei  
 Populat recessus, semper internis malis  
 Cruciatur animus. Numen infestum est mihi.  
 Quae spectra video? filia obiicitur mihi, 1270  
 Vmbramque cerno mente turbata meam,  
 Quae triste semper funus intentat sibi  
 Et caede facta fugit ex oculis meis  
 Adhuc hiante vulnere et vulnus mihi  
 Novum relinquens: spiculum infixum manet. 1275  
 Turbatus animus grande praesagit malum.  
 Vtrumque gelidus concutit timor latus  
 Artusque solvit. sentio saeva manu

	Vibrata mortis tela; rubicundas color Genas relinquit, tristis in vultu sedet Mors, et per artus frigidus sudor fluit.	1280
Puella	Salveto clari stemmatis clarum genus. Testes doloris litteras mittit tibi Amica soboles, subsidia petens malis.	
Mat.	An sic triumphat aureo impietas iugo? Iniuriosa iura calcantur pede? Sic coniugalis spernitur tori fides? Thalamisne cessit coniugis sanctus pudor? Megaera properet, solvat igniferis caput Cinctum colubris, sulphuris cocti globos	1285
	Ex ore spiret, vindices flammam vomat, Vt thalamus ardeat atque violatus torus Et, quem iugalis foederis damnant reum Sacrata iura. coniugem spernit suam Coniux superbus! insolens! ferus! impius!	1290
	Age anime, segnes rumpe iam tandem moras Teque in nefanda crimina et caedem para. Animos viriles indue, impium scelus Impia patrando vince; si iusto deest Quidquam furori, Ditis inferni lacum	1295
	Tristesque manes postibus ruptis pete. O misera genitrix! veniat invisum tibi Rapaxque monstrum, veniat et figat novum Vulnus medullis: haereat cuspis tuo Lateri cruenta, sedet ardentem sitim	1300
	Proprii cruoris; iam latex tibi fluat Invisus hactenus, in tuum corpus adigas Lethale ferrum, saevias in te ferox. Video paventem Phoebum et attonitos Deos, Coeli columnas tremere, ne paveas tamen	1305
	Pavidosque vincas saeviens mater Deos. Hoc ferrum in ima pectoris mergas tui. Quid trepida langues dextera? an lethum times? Natura renuit. est sibi nimium ferox Noverca! naturam exuas, genius tibi	1310
	Absit fidelis. appeto finem malis. Est vita morte peior, et lentum nimis Parcendo Numen. impias Parcas rogo, Vt parcere mihi desinant; lethum peto. Quid anime refugis? solve, quod potes malum,	1315
	Et te tyrannum sentias gravem tibi. Amica soboles periit, et pereat parens. Rursumne trepidas? dexteram immergas tuis Fixam medullis. Martius tepet vigor,	1320

	Calere solitus? ferveat prius tibi, Hosti deinde. vindices umbras sciet Perpetua diris bella cum larvis gerens. Robur furentes adferant Cadmeides: Vibrabo ferrum, sanguinem nostrum bibet.	1325
Mors	Adsum cruento spiculo et fato minax: Si vis perire, praesto sum, necem inferam.	1330
Mat.	O tetra facies mortis! o monstrum impium! Hinc illa tristis cedat effigies procul. Rursumne langues, anime? proch dirum metum! Semperne cordis segne torpebit fretum? Nullas procellas volvet et sese obruet? Adhuc nefandum spiritum misera trahis? Imbellis anime! rumpe, quas potes, moras Et temet ipsum, pelle foemineos metus. Proprios per artus quaere supplicio viam.	1335          1340

### Scena quarta

<Sylla, Sybilla, Legatus>

*Sylla legatum mittit, ut Pompeius dimisso exercitu, servans tantum sibi unicam cohortem, successionem exspectet.*

Syl.	Superba numquam pectora Heröum satis, Felicitatem prodigo quamvis sinu Titulosque honorum fundat arridens Dea, Ditare poterit. crescit immensum sitis Anhela laudis. cordis humani tumor In alta semper surgit et novo impetu Periculosum tentat ad Superos iter. Saepius abyssum Tartari et foedum lacum Ditis profundi petiit, aetherii Iovis Qui celsa regna subiit invictus prius. Pompeius alto pectore insurgit magis Dubiamque sortis aleam ut fidam sibi Suoque iure vendicat. nescit miser Hanc infideles iacere Divorum manus. Fuit ille iactus hactenus felix satis Ducemque supra vulgus ignavum tulit: Iactus erit alius forsitan infelix nimis Et gloriosos opprimet animos ducis.	1345          1350    1355
------	---	--

Syb.	Multos profundo pelagus inclusit vado, Qui se per auras gloriae penna levi Altos levabant. cautius carpit viam, Quicumque vasto figit in solo gradum.	1360
Syl.	Fortuna nimium pectus elatum levat Superbientis principis: etiam Diis Et fulminanti graditur aequalis Iovi. Animi tumentes deprimi debent ducis. Legationis igitur hoc munus tibi Incumbat, omnis redeat ut belli cohors; Vnam reservet militum turmam sibi Pompeius, alium bellicis castris ducem Exspectet. altos spiritus primum domet Et, imperare qui petit, semet regat.	1365          1370
Leg.	Omnem reducam militem, princeps, tibi.	
Syb.	Excelsa virtus semper invidiae patet.	

### Scena quinta

<Pompeius, Nobiles II, Legatus>

*Pompeius accepto nuntio de dimittendo exercitu, primo quidem dolorem dissimulat et mentis turbationem; deinde plurimum excandescit animique dolorem palam testatur. cui milites rebellionem suadent, sed iis vehementissime resistit.*

Pomp.	Strenua iuventus, gentis Ausoniae decus, Pellendus hostis finibus procul suis. Nostros triumphos Roma iam dudum petiit, Et laureatam militum turmam sibi Moratur illa dives Heroum parens Altrixque Martis. surgite in pectus ferum Et Marte dignum: bella iam vobis dabunt Spolia et honores. gloriae semper flagrat Romana virtus ignibus; quos iam sacros Fovete patriae. laurus exspectat viros Laeta virescens fronde, conspicuum caput Haec ipsa reddet: pergite in Martem ferum. Crinibus olivam conferet vestris sacram.	1375           1380    1385
Nob.I.	Ob hanc in arma ruere et ardentis rogos Impellit animus; ferre nam bustum solet Etiam triumphos. laudis est lethi via.	1390

- Nob. II. Avida vorago laudis ardentem sitim  
Exacuit intus: Martium in campum volo.
- Leg. Serene princeps, fulmen irati Iovis  
Vigorque Martis: bellicus ne te labor  
Nimium fatiget, Sylla dissolvi iubet 1395  
Disposita castra. semper est pavidus amor  
Et, evenire quae valent, metuit mala.
- Pomp. Clari trophaeis consuli debent duces  
Parere. torpens, stante dum petitur Noto,  
Vulcanus ardet, surgit immensum furens; 1400  
Sic pressa virtus saepius levat caput  
Super procellas. Sylla quam turmam iubet,  
Incolumis adsit; Martio praesit gregi  
Dux alter, etiam spolia, quae tuli, ferat.
- Nob. I. Alumna Martis, Roma, sic tuos premis? 1405  
Misera triumphos invides laetos tibi?  
Sic picta claris displicet chlamys notis?  
Sic purpuratum principis spernis sagum?  
Sanguine rubentem dexteram? tuo cades  
Vastata ferro. bella iam moves tibi. 1410
- Pomp. Quo me misellum turbo fortunae rapit?  
An ad remotos Sarmatas pellit ducem  
Multis trophaeis inclytum? an pontum iubet,  
Vt me profundi sorbeant fauces freti?  
Mergant procellis principem? patriae bonum 1415  
Sors atra semper invidet, fortes premit.  
Traiicere pontum, Sylla dum revocat, iubet.  
Quin ergo saevi praepotens rector freti  
Hoc in procellas corpus invisum rapis?  
Hiante fauce pelagus infestum bibam. 1420  
Ingrata si me terra Pompeium fugit  
Et turbulentem morte vincendum est mare,  
Vt inter altos vortices mersus fluam  
Pompeius undis altior, vastum illico  
Sorbebo pelagus pontico maior malo. 1425  
Quicumque terram vivus, hic moriens salum  
Superare discat. saevior Sylla est mihi  
Scylla et Charybdi. solus hic geminum furens  
Baccando monstrum vincit.
- Nob.    excutias iugum,  
Dux magne. Syllam Martium fulmen premat, 1430  
Et arma capiat, arma qui poni iubet.
- Pomp. Fieri nefandum iura sed facinus vetant.
- Nob. Ius omne in armis sit tibi. dominans furor  
Nunc aequa scepra vendicet, qui te regat.  
Ingrate Sylla! premere qui tentat, premas. 1435



- Pomp. Sed ratio prohibet.  
 Nob. ratio, quae vetat, tibi  
 Servire discat.
- Pomp. illa, quae cunctos regit,  
 Servire discet? absit hoc scelus impium.  
 Cur Sylla positus revocet a castris ducem,  
 Est causa forsan.
- Nob. causa quae licet, nocet. 1440  
 Igitur futuris pectus obfirma malis,  
 Ocyus in hostem milite et ferro potens,  
 Pompeie victor, nobili strage irruas.  
 Syllam tyrannum perfidum fatum premat.
- Pomp. Potius subibo victus et fatum feram. 1445  
 Superba Roma, viribus caderes meis  
 Prostrata? nostras tu quidem posses minas  
 Metuere, cuius cardines tremerent poli  
 Rigidis sub armis. sanguinem potius meum  
 Tibi sacrabo. dulce pro patria est mori 1450  
 Etiam noverca.
- Nob. quin potius eam domas?
- Pomp. Domare semet gloriae datur magis.
- Nob. Non serviendo gloriae quisquam studet.
- Pomp. Est clara patriae servitus.
- Nob. bonae quidem.
- Pomp. Etiam prementis. crescit hinc gloria magis. 1455  
 Non est stupendum facere, quod vulgus solet.  
 Quisquis seipsum vincit, hic laurum sibi  
 Patiendo plectit; strenuo virtus viro  
 Parat coronam. Sylla quam laudem mihi  
 Invidit atrox, larga mox virtus feret. 1460

## Scena sexta

<Sylla, Legatus, Nobiles II, Pompeius>

*Falso accusatur rebellionis et contumaciae Pompeius apud Syllam, sed cognita veritate reducem benevole excipit.*

- Syl. Exardet animus scire, quae nobis redux  
 Legatus adfert, mente qua reditum tulit  
 Pompeius. alto spiritu victor tumet,  
 Virtus trophaeis aucta detrectat iugum.  
 Praesagit istud animus incertum malum. 1465

- Leg. Inclyte Senatus, miles, en, iussis tuis  
 Sacratus adstat. arduus labor fuit;  
 Nam contumacem spiritum simulans dolor  
 Tegendo nobis horridum fecit magis.  
 Simulata pietas amplius semper nocet. 1470
- Nob. I. Serene princeps, ense Pompeius furit  
 Diroque fluctus agitat in animo feros.  
 Sedare motos impetus cordis nequit:  
 Non una species, unus haud manet color;  
 Flammata facies pallidum vultum subit. 1475  
 Bacchatur, ardet, ringitur, spumat, fremit;  
 Furensque saepe nomen ingeminat tuum,  
 Ingrate Sylla! supprimit vocem dolor  
 Minaeque tristes. rursus ingeminans silet  
 Et verba, gemitus pectore ex imo citans, 1480  
 Sonosque tristes amputat. pariet scelus,  
 Quicumque stimulat turbidum pectus furor.  
 Hinc et tremendo graditur exardens pede,  
 Attonitus, anceps, dubius, incertus, vagus.  
 Animos rebelles miles indignans fovet. 1485
- Nob. II. Scelestus ille nubibus celsis caput  
 Condit superbum, montium premit iuga  
 Polosque scandit animo; et infestis minax  
 Pompeius armis, infimum linquit locum  
 Regum tremendis fascibus. ridet minas, 1490  
 Decreta temnit, ardet in bellum ferox,  
 Quo perbenignum consulem tandem opprimat.
- Syl. Ergone lentus patiar hoc consul scelus,  
 Vt hos superbo conterat fasces pede?  
 Pompeius alta cornua in Syllam levet? 1495  
 Mucrone stricto saeviat? testor Deos:  
 Non haec inulta scelera subsistent diu.  
 Si quid furori desit, ex Orco petam,  
 Quo pertinacem spiritum victor premam.  
 Roma est superstes, fateor, et vindex sua 1500  
 Promittit arma; saevius fulmen tamen  
 Erebi caminis cudet exardens Deus,  
 Addentque taedas criminum ultrices Deae.  
 Medusa tortis anguibus cinctum caput  
 Dirisque corpus obsitum squamis trahens 1505  
 Obyciet atro principi; laesus Tonans  
 Faciet trisulco flammeam telo facem.  
 Pectus nefandis impium flammis patet  
 Iraeque scelerum vindici. fulmen vibres  
 Manu potenti, Iupiter: saevis cadat 1510  
 Tostum cadaver ignibus. temnit duces,

- Illos severos iudices armet sibi.
- Nob. Imperia quisquis iusta detrectat pati,  
Infesta victus sentiat. suis cadat  
Prostratus armis. invidet fasces tibi 1515  
Dux perduellis, armat in caedem manus.
- Pomp. Serene, vestro, consul, imperio redux  
Pompeius adstat. poterat hic lauro comas  
Redire vinctus; clarior remeat tamen,  
Haec qui iubentis potuit imperia pati. 1520  
Est victor animum quisquis expugnat suum,  
Superba duro colla submittens iugo.  
Hic nempe vestris sanguis est votis sacer;  
Nil imperare, fugere quod velim, potes.
- Syl. Quam falsa nobis patrios repetens lares 1525  
Commenta rumor attulit! mendax scelus  
Vbique cecinit, nuntius falsi fuit.  
Amplector altum pectus et vulgus supra  
Animos fidemque. gloriam nunquam tuam  
Minuere studui consul, ast auxi magis. 1530  
Si quod nefandum crimen admissum putes,  
Est illud ipsum, timida quod pietas facit,  
Ne bella longis frangerent pectus malis;  
Sed me fefellit Martis invictus labor.
- Pomp. Nequii patrare consulis pietas scelus, 1535  
Quae recta semper consulit. res sunt sacrae  
Consilia; quisquis violat haec, crimen patrat.
- Syl. Ad arma rursus miles et bellum redi.  
Novis trophaeis inclytum reddas genus  
Nomenque patrium. fulgido ferro ingruit 1540  
Trux Mythridates. obruas dirum scelus.

### Scena septima

<Mythridates, Milites, Armiger, Pompeius, Victoria,  
Roma, Senatores/Senatus, Populus>

*Mythridates aliquot trophaeis inclytus Romanos subiugare conatur iisque bellum indicit. quem vix e somno vigilantem Pompeius invadit, totumque exercitum dissipat; cui triumphus a Senatu decernitur.*

- Myth. Bithynia nostrum missa sub iugum gemit,  
Et Cappadocia strenuo cessit duci:  
Servire Domina gentium debet mihi.  
Petenda Roma; haec terminus nostris erit 1545

	Decretus armis, gloriae finem dabit. Qua subiugata victa iam tellus gemet. Validos lacertos exere in Martem ferum, Generosa pubes. Roma iam vobis patet Et ampla spolia.	
Miles	Roma iam cedit tibi.	1550
	Ibimus in hostes, cuncta vastabit furor.	
Myth.	Sed fracta membra placida restauret quies Et solidet artus interim. vesper cadit Suadetque somnos, obruit lassos sopor. Quam saeva spectra territant oculos meos!	1555
	Mors instat atrox, fata victorem premunt, Validumque pectus genius infestat malus.	
Arm.	Fuge, fuge, princeps; imminet ferro potens Pompeius. aciem concito movet gradu. Speranda celeri nunc tibi est fuga salus.	1560
Myth.	Iniqua fata! fugere Pompeium iubent.	
Pomp.	Generose miles, sterne nunc hostem tuum.	
Milit.	Mactata ferro corpora, en, multo iacent Sanguine sepulta; cecidit hostilis phalanx Partimque fugit gloriae testis tuae.	1565
Vic.	O clara salve bellici soboles Iovis, Istam trophaeis lauream fero tuis. Victor triumphae: Fama te Magnum canat.	
Pomp.	Est ista laurus gloriae mihi seges, Hac petere Romam bellicus cogit labor.	1570
	Famosa tellus! urbium salve decus, Regina salve, cuius ad nutum pavet Trepidatque, totus quidquid hic mundus capit. Cuius frequentes laureae coelo metum, Cuius stupores gentibus luctum parant.	1575
	Salvete turres inclytae, Divum labor, Salvete montes Marte sat noti meo, Quorum superbus mille sub sceptris apex Nondum fatiscit. ecce, se tandem refert Vobis alumnus victor et laetum gradum	1580
	Molitur; altos credo vos plausus dare Post tot triumphos. audiat Tethiis meos Iam iam labores, audiat Triton decus. Claros triumphos Roma iam debet mihi.	
Vic.	Hoc sub nitente fortius nihil globo	1585
	Phoebus Monarcha cernit: ad cuius tremit Gens nempe cuncta nomen et metuit manum Fulmen rotantem Martium; est hic, qui polos Armisque Superos territat, ponens metus Vbique pavidos, nempe cui coelum, solum est.	1590

	Claros triumphos, Roma, decernas duci.	
Miles	Istos triumphos Roma vel nolens dabit.	
Roma	Multis trophaeis inclytum ornabo ducem.	
	O fausta Roma! quid tuos Decios crepas	
	Turgente bucca quidue combusta manu	1595
	Superbientis Scevolae laudes tonas?	
	Aut irruentem Curtium in fauces soli	
	Tibi minantis? aut quid invictis stupes	
	Armis rigentem Coclitem? aut Codrum canis	
	Actaea tellus? quaque flammiferum caput	1600
	Tollit coruscans Phoebus et pronus mari	
	Rursus recondit, Fama, decantas Iove	
	Nati labores? cuius explodas tuba	
	Maiore laudes: victor, en, domito redit	
	Pompeius hoste. desine, Alcides, tuos	1605
	Modo lacertos, quosque non tulit metus	
	Terrorque saevus rustici Cacus chori,	
	Iactare nervos. viribus par hic tuis	
	Animoque maior, deprimit moles opus,	
	Laudesque virtus superat invicti ducis.	1610
	Claros triumphos Roma decerno duci.	
Pomp.	Inclyte Senatus, fusus est hostis procul,	
	Et Mythridates viribus cessit meis.	
	Cadaverosa territat oculos strues,	
	Necnon cruentis fontibus campi natant.	1615
	Horrenda strages fertiles agros dedit	
	Vestraeque primum gloriae, dein meae.	
	Victor triumphum nunc mihi et vobis peto.	
Sen. I.	Pompeius alto sanguine et ferro potens	
	Victor triumphet. similis invictis Diis	1620
	Caecam superbis calcibus premat Deam.	
	Io, triumphet aureo vectus iugo.	
Sen. II.	Delubra sertis ornet applaudens cohors	
	Laurosque texat. quemque nec divum ferax	
	Thebana tellus habuit aut gravido sinu	1625
	Superba Roma, iure nunc iactet ducem.	
Popul.	En, nos ovanti laureas frondes tibi	
	Plausumque ferimus, maximum belli decus.	
	Io, triumphet, vivat et regnet polo	
	Alcide maior, domitor et soli et sali.	1630
Senat.	Cervice prona supplices gentes colant,	
	Cuius sub armis cardines coeli tremunt.	
	Io, triumphet aureo vectus iugo.	

## Hinweise zur Textgestaltung

Zugrunde liegt die Erstausgabe von 1635. Die orthographischen Eigenheiten des Originals wurden nach Möglichkeit beachtet. Orthographie und Interpunktion wurden jedoch überarbeitet und vereinheitlicht. So wurde stets gedruckt *i* für *j*, *v* für konsonantisches *u*, *u/V* für vokalisches *u/U*, *causa* für *caussa* (17, 450, 457, 503, 1440, 1440). Groß geschrieben wurde: *Avernus* (47, 577, 963, 1209), *Bellona* (1152, 1160, 1171), *Caucasus* (536, 678, 911), *Deus*, *Dea* (170, 376, 381, 518, 1046, 1364, 1503, 1620), *Érynnis* (390, 517, 677, 704), *Magnus* (30, 981, 1568), *Mars*, *Mart-* (vor 88, 280, 307, 794, 826, 838, 985, 1056, 1430, 1534, 1588), *Numen* (190, 340, 505, 616, 632, 635, 948, 985, 1008, 1058, 1269, 1318), *Punicus* (464, 647, 683), *Styx* (19, 146, 966, 1205), *Superi* (319, 1347, 1261, 1589), *Tartarus* (130, 161, 210, 268, 474, 771, 1204, 1348), *Tonans* (193, 1223, 1506) sowie 82 *Floram*, 101 *Camarina*, 121 *Veneris*, 127 *Heroës*, 153 *Thessalam*, 160 *Ditis*, vor 205 *Morbus*, vor 205 *Fames*, 241 *Fames*, 248 *Fames*, 269 *Impietas*, 270 *Pietas*, 350 *Pompeio*, 431 *Phrygibus*, 487 *Noti*, 493 *Hermus*, 591 *Hesperus*, 652 *Pelagos*, 774 *Ausonium*, 787 *Ausonii*, 814 *Fama*, vor 921 *Scipione*, 950 *Mavors*, 961 *Erebum*, 968 *Diti*, 970 *Divorum*, 1043 *Veneris*, 1051 *Ausoniae*, 1065 *Thessalam*, 1131 *Minerva*, 1144 *Assyriis*, 1157 *Cyprii*, 1248 *Caspia*, 1300 *Ditis*, 1328 *Cadmeides*, 1354 *Divorum*, 1375 *Ausoniae*, 1379 *Heröum*, 1399 *Noto*, 1428 *Charybdi*, 1498 *Orco*, 1568 *Fama*, 1576 *Divum*; klein dagegen: *dux* (787, 817, 841, 858, 984, 986, 1032, 1096, 1203, 1511), *fides* (384, 402, 416, 427, 459, 460, 499, 505, 560, 585, vor 628, 646, 753, 1107, 1287), *princeps* (449, 729, 741, 816, 822, 944, 946, 955, 1011, 1033, 1092, 1373, 1393, 1415, 1471, 1558) sowie vor 1 *iuvenis*, *pellicis*, 105 *leo*, 108 *floscule*, 191 *virginis*, 205 *vita*, 228 *sanguine*, 261 *fida*, 288 *daret*, 304 *belliger*, 349 *patri*, 459 *fidelis*, 481 *doma*, 506 *barbaros*, 597 *fulgidum*, 598 *basis*, 603 *bellum*, 629 *bilis*, 647 *fidum*, 649 *maiestas*, 653 *pardalis*, vor 687 *bello*, vor 687 *victori*, vor 687 *filiam*, 687 *gnata*, 692 *virginis*, 697 *virginis*, 701 *filia*, 702 *maritum*, 715 *marito*, 721 *virtus*, 764 *fideli*, 770 *virgines*, 775 *ferox*, 794 *vigor*, 809 *virtus*, 841 *barbaros*, 842 *imperii*, 914 *aether*, 945 *clara*, 979 *imperii*, 984 *tyrannum*, vor 1024 *coniugem*, vor 1024 *uxorem*, 1202 *foeminam*, 1311 *mater*, vor 1341 *legatum*, 1349 *aetherii*, 1393 *fulmen*, 1444 *tyrannum*, 1594 *fausta*, 1610 *virtus*; vor Szenenbeginn 1,1 *Pompeius* 1,2 *Geminus* ohne Großbuchstaben.

Das Darstellerverzeichnis wurde ergänzt, ebenso die Darsteller vor den einzelnen Szenen. Zusätzliche Attribute bei den Sprecherabkürzungen wie 10 *Sybilla veridica*, 268 *Pietas patriae* wurden ins Darstellerverzeichnis übernommen und nicht im Text abgedruckt. Als Abkürzung verwendet wurde 981 *Duc.* statt *Duces Scip.*, 984 *Milit.* statt *Milites Scip.*, 1113 *Ae. I.* statt *Puel. Aem.*, 1125 *Ae. II.* statt *Secunda*, 1137 *Ae. III.* statt *Tertia*, 1146 *Ant. I.* statt *Antist. puella*, 1153 *Ant. II.* statt *Secun.*, 1160 *Ant. III.* statt *Tert.*, 1332 *Mat.* statt *Mat. Antist.*, 1471 *Nob. I.* statt *Nobilis*, 1486 *Nob. II.* statt *Nobilis alter*. Als Sprecher für 1160 zu erwarten ist *Ant. II.* statt *III.*, vgl. den identischen Vers 1152 und 1171 jeweils als Abschluss; für 1282 *Antistianae Puellae* statt nur einer einzelnen *Puella*, vgl. 1233 *comites meae*.

- 42 *pestis* statt *paestis*
- 91 *protervos* statt *proternos*
- 126 *haud* statt *hand*
- 159 *subdit* statt *snbdit*
- 194 *Phasidos* statt *Phafidos*
- 214 *paenis* statt *poenis*
- 318 *sylva* statt *silva*
- 554 *praesto* statt *presto*
- 801 *sibi* ergänzt, Original unleserlich (evtl. *suae*)
- 1101 *nepotes* statt *nepotens*
- 1104 *cygnum* statt *ciignum*
- 1115 *sydereus* statt *sidereus*
- 1122 *necnon* statt *nec non*
- 1131 *Minerva* statt *miuerua*
- 1144 *Assyriis* statt *assyrys*
- 1153 *praemia* statt *proemia*
- 1242 *vultum* statt *vnlum*
- 1322 *soboles* statt *suboles*
- 1330 *minax* statt *mniax*
- 1407 *chlamys* statt *chlamijs*
- 1430 *premat* statt *praemat*
- 1435 *premas* statt *praemas*
- 1445 *fatum* statt *fautm*

- 'Komma' gestrichen vor *et, atque, -que, neque, nec, aut, vel, -ve, an, quam* u.ä.: 3, 11, 16, 21, 22, 23, 25, 26, 29, 31, 35, 36, 48, 53, 53, 55, 69, 74, 76, 81, 86, 90, 91, 93, 97, 100, 102, 104, 116, 131, 133, 138, 141, 151, 157, 161, 166, 168, 171, 172, 184, 203, 207, 211, 213, 222, 226, 229, 230, 233, 253, 270, 271, 272, 274, 278, 280, 283, 284, 296, 299, 302, 303, 305, 307, 311, 312, 318, 329, 332, 333, 336, 341, 351, 352, 363, 367, 374, 378, 385, 389, 392, 396, 398, 404, 407, 410, 414, 419, 425, 428, 441, 443, 450, 452, 454, 461, 469, 476, 487, 487, 490, 493, 494, 494, 495, 498, 501, 504, 509, 511, 512, 518, 519, vor 521, 525, 530, 537, 541, 541, 555, 562, 574, 588, 598, 601, 603, 609, 612, 621, 624, vor 628, vor 628, 628, 638, 641, 649, 655, 657, 659, 665, 682, 682, 684, 684, 692, 701, 717, 720, 725, 727, 731, 733, 735, 739, 748, 754, 761, 764, vor 772, 773, 779, 783, 787, 789, 807, 823, 825, 827, vor 852, 854, 856, 858, 863, 867, 872, 883, 885, 894, 901, 903, 913, 922, 927, 931, 934, 936, 942, 944, 947, 950, 952, 955, 961, 963, 964, 965, 967, 968, 970, 993, 998, 1000, 1001, 1005, 1016, 1020, 1024, 1026, 1030, 1036, 1077, 1090, 1092, 1103, 1105, 1106, 1118, 1120, 1122, 1135, 1139, 1140, 1142, 1142, 1144, 1149, vor 1172, 1177, 1181, 1194, 1212, 1213, 1217, 1221, 1222, 1222, 1224, 1242, 1250, 1251, 1252, 1253, 1255, 1258, 1258, 1265, 1272, 1274, 1277, 1292, 1292, 1296, 1300, 1302, 1303, 1310, 1336, 1338, 1342, 1346, 1351, 1352, 1355, 1371, vor 1375, 1388, 1393, 1396, 1421, 1478, 1479, 1504, 1508, 1524 *velim*, 1529, vor 1542, 1549, 1553, 1564, 1572, 1580, 1587, 1595, 1601, 1606, 1608, 1616, 1618, 1619, 1623, 1625, 1629, 1630
- 'Komma' gestrichen nach: 13 *scelus*, 166 *ferum*, 175 *membra*, 319 *Superum*, 637 *cruentis*, vor 687 *victori*, 719 *salem*, 780 *caput*, 795 *potens*, 803 *ferro*, 809 *multa*, 811 *virtus*, 846 *enses*, 940 *nocens*, 1136 *repositos*, 1234 *filiae*, 1453 *serviando*, 1469 *tegendero*, 1585 *hoc*
- 'Komma' ergänzt: 1, 5, 37, 48, 53, 60, 82, 104 *ecce*, 149, 151, 156, 165, 176, vor 205 *deliberat*, 258, 288 *et*, 312, 335, 339 *necem*, 341, 353, 355, 365, 370, 382, 386, 390, 424, 428, 434, 449, 449, 459, 459, 460, 493, 516, 538 *absit*, 546, 553, 558, 567, 569, 572, 614, vor 628 *Pompeius*, 632 *istud*, 644, 644, 673, 679, 706 *comes*, 708, 711, 716, 721, 722, 723, 723, 728 *focos*, 734, 738, 740, 748, 752 *ecce*, 765, 770 *choras*, vor 772 *Imperatoribus*, vor 772 *Brutoque*, 772, 773, 797 *spolia*, 809 *virtus*, 833 *en*, 834 *ut*, 836, 837 *bellicose*, 842 *proceres*, 848 *flamma*, 862, 862, 874, 878, 886, 892, 896, 899, 900, 905, 923, 933, 943, 955, 967, 971, 976, 976, 976, 981, 982 *qua*, 982 *Scipio*, 992, 1005, 1005, 1012, 1014, 1021 *et*, 1028, 1053, 1062, 1062, 1065, 1065, 1067, 1067, 1069, 1074, 1075, 1094, 1107 *coniugalis*, 1115, 1141, 1153, 1154 *statuant*, 1167 *choreas*, 1172, 1180, 1187, 1189, 1190, 1190, 1197 *Lypara*, 1197 *sinu*, 1233 *interim*, vor 1235, 1293, 1318, 1320, 1320, 1324, 1334, 1338, 1338, vor 1341 *mittit*, 1341, 1359, 1361, 1371, 1372, 1372, 1397 *et*, 1399, 1399, 1404 *spolia*, 1405, 1405, 1413, 1429, 1436 *ratio*, 1437, 1437, 1439, 1441, 1442, 1443, 1446, 1456, 1461, 1466, 1466, 1477, 1481, 1498 *petam*, 1510, 1513, 1517, 1517, 1517, 1519, 1532 *ipsum*, 1535, 1539, 1548, 1563, 1563, 1573, 1577, 1579, 1588, 1591, 1591, 1602 *Fama*, 1604, 1604, 1605, 1605, 1607, 1622, 1627, 1629 *io*, 1633
- 'Komma' statt 'Punkt': 21, 96 *spicula*, 178, 294, 295, 300, 327, 373, vor 521 *subduxit*, 650, 803, 822, 877, 929, 951, 1019 *magne*, 1026 *sali*, 1040, 1462, 1466 *Senatus*, 1471, 1612 *Senatus*
- 'Komma' statt 'Doppelpunkt': 13, 51, 65, 78, 117, 145, vor 205 *Fames*, 210 *unda*, 249, 250, 256, 334, 348, 359, 368, 394, 421, 438, 440, 444, 491, 496, 500, 538 *manu*, 543, 544, 551, 552, 556, 566, 573, 578, 642, 659, 670, 720, 745, 755, 785, 789, 792, 794, 800, 818, 823, 837 *geras*, 851, 861, 868, 876, 908, 910, 911, 912, 922, 931, 946, 957, 960, 994, 1003, 1019 *rege*, 1031, 1073, 1126, 1134, 1138, 1143, 1146, 1170, 1177 *motibus*, 1178, 1179, 1197 *Aethna*, 1202, 1211, 1241 *furit*, 1245, 1249, 1257, 1260, 1267, 1268, 1280, 1289, 1290, 1291, 1298, 1303, 1305, 1307, 1308, 1370, 1404 *alter*, 1416, 1527, 1546, 1551, 1554, 1556, 1571, 1576 *labor*, 1583
- 'Komma' statt 'Strichpunkt': 105, 198, 200, 229, 284, 285, 436, 656 *Damon*, 667, 1035, 1093, 1124, 1221, 1263, 1424, 1487, 1576 *inclytæ*
- 'Komma' statt 'Fragezeichen': 996
- 'Punkt' gestrichen: 219 *meum*, 287 *procul*, 289 *vagum*, 828 *solum*, 1207 *doment*, 1248 *minax*, 1552 *quies*
- 'Punkt' ergänzt: vor 88, 953, 1104, 1160, 1399, 1454 *quidem*
- 'Punkt' statt 'Doppelpunkt': 27, 37, 144, 147, 189, 203, 209, 212, 335, 360, 537, vor 772, 793, 797, 826, 904 *triumphus*, 956, 1069, vor 1235 *repudio*, 1257, 1371, vor 1375 *testatur*, 1382, 1384, 1536, 1579
- 'Punkt' statt 'Strichpunkt': 1133
- 'Punkt' statt 'Komma': 7, vor 205 *Victoria*, 416, 521, 553, 639, 773, 888 *genus*, vor 1024 *extitisse*, 1064 *adulterorum*, 1550 *spolia*, 1582
- 'Strichpunkt' ergänzt: 114, 1261
- 'Strichpunkt' statt 'Punkt': 72, 79, 183, 220, 456, 651, 751, 781, 1157, 1488
- 'Strichpunkt' statt 'Doppelpunkt': 14, 38, 68, 140, 145, 227, 247, 255, 259, 276, 291, 371, 390, 393, 412, 439, 451, 464, 536, 547, 550, 589, 611, 630, 640, 676, 690, 763, 776, 790, 824, 869, vor 921, 925, 950, 968, 1028, 1039, 1089, 1098, 1100, 1106, vor 1113, 1119, 1129, 1162, 1206, 1210, 1223, 1244, 1256, 1279, 1299, 1306, 1368, vor 1375, 1383, 1389, 1400, 1403, 1458, 1467, 1474, 1501, 1506, 1519, 1537, vor 1542, 1545, 1564, 1581, 1588

'Strichpunkt' statt 'Komma': 4, 103, 242, 261, 346, 366, 599, 614, 657, 719, 836, 848, 860, 886, 903, 1076, 1148, 1319, 1523, 1558

'Doppelpunkt' ergänzt: 799

'Doppelpunkt' statt 'Punkt': 115, 184, 336, 610, 914, 1394, 1496

'Doppelpunkt' statt 'Komma': 51, 365, 376, 565, 971, 1604

'Fragezeichen' gestrichen: 170 *Dii*, 647 *ducem*

'Gedankenstriche' statt 'Komma': 101f.

'Gedankenstriche' statt 'Klammern': 1075